213.41
H944

COLLECTANEA PHILOSOPHICO – THEOLOGICA
CURA PROFESSORUM COLLEGII INTERNATIONALIS S. ANTONII DE URBE EDITA

Vol. II.

TERTULLIANI
DE PRAESCRIPTIONE HAERETICORUM LIBRI
ANALYSIS

CUM APPENDICE

DE COMMONITORIO VINCENTII LIRINENSIS

AUCTORE

P. ULRICO HÜNTEMANN, O. F. M.

LECT

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

AD CLARAS AQUAS
EX TYP. COLLEGII S. BONAVENTURAE
1924.

INTRODUCTIO

Q. Septimius Florens Tertullianus in omnibus libris suis aptum rerum ordinem servat. Antequam scriptioni manum admovet, idoneam argumentorum dispositionem excogitat, quam deinde in elaborando semper prae oculis habet et accurate sequitur. Hanc etiam dispositionem satis clare indicare solet, praesertim partium copulatione, ut ab attento lectore sine difficultate magna inveniri possit. Quae tamen indicia saepe non satis observantur cum detrimento rectae intelligentiae. Si enim ordinem rerum ab auctore intentum cognoscimus, etiam quid auctor singulis locis et verbis dicere voluerit, facilius deprehendimus. Nam obscure dicta plerumque e contextu lucem accipiunt. Cognito rerum ordine et nexu etiam ea quae lecta sunt memoriae firmius impressa manent. Quare non sine causa rerum patrologicarum scriptores vel operum Tertulliani editores et interpretes iis, qui in eius libros operam studiumque collaturi sunt, statim a limine suppeditare solent synopsin materiae singulorum librorum, quo facilius legentes sensum verborum et mentem auctoris assequantur.

Sed non raro accidit, ut huiusmodi synopses vestigia indiciaque dispositionis praetermittant rerumque conspectum praebeant non ab auctore acceptum, sed plus minusve ar-

bitrarie excogitatum et argumento libri utcumque accommodatum. Hoc autem modo recta intelligentia vel prorsus impeditur vel saltem multo difficilior redditur. Ductus enim synopsi velut opinione praeiudicata qui legit, non attente audiet Tertullianum docentem, sed potius eiusdem verba ad alienum sensum trahet, ut ea inveniat, quae aliunde iam didicerat.

Ita praecipue fit de eo Tertulliani libro, cui titulus est « De praescriptione haereticorum ». Usu enim frequenti, ne dicam universali, argumentatio huius operis in tres partes principales dividi solet, ac si auctor tres praescriptiones ibi tractare vellet, scilicet 1) praescriptionem veritatis, cc. 20–30; 2) praescriptionem principalitatis, cc. 31–35; 3) praescriptionem proprietatis, cc. 36–40. Quam late vulgata sit haec divisio, facile monstrari potest. E magno numero eorum, qui eam exhibent, aliquos recentiores et notiores nominare sufficiat: Henricum Kellner (1), Iosephum Nirschl (2), Iohannem Alzog (3), Martinum Winkler (4), Gerhardum Esser (5), Henricum Kihn (6), Bernhardum Schmid O. S. B. (7), Iosephum Vizzini (8), Adhemarum d'Alès (9), I. V. Bainvel (10), Carolum

(1) In *Bibliothek der Kirchenväter;* in editione vetustiore: *Ausgewählte Schriften des Septimius Tertullianus,* II, Kempten 1870, p. 177-181; iterum in editione recentiore: *Tertullians ausgewählte Werke,* II, durchgesehen u. herausg. von Gerh. Esser, Kempten u. München 1915, p. 284.

(2) *Lehrbuch der Patrologie und Patristik,* I, Mainz 1881, p. 272-274.

(3) *Grundriss der Patrologie,* 4. Aufl., Freiburg i. Br. 1888, p. 181.

(4) *Der Traditionsbegriff des Urchristentums bis Tertullian,* München 1897, p. 114-125.

(5) In *Kirchenlexikon,* XI, Freiburg i. Br. 1899, col. 1414; cf. supra nota 1.

(6) *Patrologie,* I, Paderborn 1904, p. 242.

(7) *Grundlinien der Patrologie,* 6. Aufl., Freiburg i. Br. 1904, p. 89.

(8) In *Bibliotheca SS. Patrum,* ser. III, vol. II: *Tertulliani de praescriptione haereticorum* etc. Romae, s. a., p. 10-13.

(9) *La théologie de Tertullien,* Paris 1905, p. 260.

(10) *De magisterio vivo et traditione,* Paris 1905, p. 64, ubi tres praescriptiones appellantur *possessionis, unitatis* et *antiquitatis.*

Adam [1], Gerhardum Rauschen [2], Ubaldum Mannucci [3], Iacobum Marx [4].

Iam id nobis propositum est, ut demonstremus hanc divisionem a mente Tertulliani alienam esse atque ordini ab ipso auctore stabilito non congruere. Quod praestare conabimur colligendo prius ex ipsius auctoris verbis indicia partitionis atque dispositionis, deinde exponendo ordinem rerum totius operis. Haec expositio ordinis in illis locis, ubi ratio argumentandi minus aperta est, vel ubi stilus Tertulliani difficultatem afferre poterat, saepe prolixior et plenior facta est, in commodum eorum, qui sermone auctoris nondum sunt satis assueti. Qua via et ratione nonnihil ad pleniorem intellectum praeclari huius libri collaturos nos esse speramus [5].

---

[1] *Der Kirchenbegriff Tertullians*, Paderborn 1907, p. 27.

[2] *Grundriss der Patrologie*, 4. 5. Aufl., Freiburg i. Br. 1913, p. 78; etiam in nova editione 6. et 7., a Iosepho Wittig adornata, ib. 1921, p. 70. Minus clare Rauschen suam hac de re opinionem manifestat in *Florilegio patristico*, fasc. IV, Bonnae 1906, p. 6 s.

[3] *Istituzioni di patrologia*, I, ed. 2, Romae 1920, p. 111-113.

[4] *Abriss der Patrologie*, 2. Aufl., Paderborn 1919, p. 57.

[5] Utimur editione G. Rauschen (*Florilegium patristicum*, fasc. IV, Bonnae 1906), quae non solum bonitate textus, sed etiam commoda capitum subdivisione commendatur.

DISPOSITIONIS VESTIGIA

Exordium comprehendit 14 capita priora; finem eius satis indicant verba: « Venimus igitur ad propositum; huc enim dirigebamus et hoc praestruebamus adlocutionis praefatione » 15, 1.

Argumentum principale enuntiatur verbis: « non admittendo (1) eos [i. e. haereticos] ad ullam de scripturis disputationem ». Cf. 15, 4: « dispici debet, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit ». Quod hic ponitur ut thesis probanda, postea clare repetitur ut conclusio probata: « Si haec ita se habent, ... **constat ratio propositi nostri** definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere ». 37, 1. Haec verba simul indicant initium conclusionis, quae desinit in fine c. 40, quod elucet e nexu intimo inter cc. 37–40.

Quae cc. 41–43 continentur, ab auctore considerantur ut argumenta accessoria: « Proinde haec... ad probationem veritatis accedunt ». 44, 1. Etiam inter se haec capita parum arcte cohaerent, quod colligitur e modo, quo copulantur: « Non omittam » etc. 41, 1; « De verbi autem administratione quid dicam? » 42, 1; « Notata sunt etiam » etc. 43, 1.

Duo ultima capita, 44. 45. totius operis epilogum faciunt.

(1) Editio habet *admittendi*, sed sensus postulat *admittendo*.

Hinc totum opus dividitur in has partes:

A. Exordium, cc. 1–14;

B. Argumentatio principalis, cc. 15–40;

C. Argumentatio accessoria, cc. 41–43.

D. Peroratio, cc. 44. 45.

Argumentatio principalis.

Ulterius in particulari ordinem rerum perquirentes primo excutiamus argumentationem principalem, qua intellecta reliqua omnia facilius perspiciuntur.

Initio capitis 31 auctor denotat finem excursus sive digressionis: « Sed ab excessu revertar », 31, 1. Si retrogradientes quaerimus digressionis initium, etiam hoc clare designatur: « locum interim demus diversae parti », 22, 1. Itaque cc. 22–30, quantumvis arcte cum re proposita cohaereant, technice tamen separatim consideranda sunt. Proinde etiam c. 31 cum c. 21 coniungi debet.

Neque etiam cc. 16–19 in argumento principali versantur, sed potius probare volunt hanc methodum apologeticam, scilicet non disputandi cum haereticis *de singulis eorum assertionibus*, sed eos repellendi *argumento generali*, iustam esse rationique consentaneam, quod cognoscitur e verbis: « Hoc [i. e. methodum 15, 3. 4 annuntiatam] de consilio diffidentiae aut de studio aliter ineundae constitutionis induxerim, nisi » etc. 16, 1. Sequuntur rationes pro defensione huius methodi. Observa: « ratio imprimis illa » etc. 16, 1; et « dehinc, quoniam » etc. 16, 3. Facta hac prolusione tandem auctor ad rem principalem transit, diserte notans « **quod nunc solum disputandum est**: quibus competat » etc. 19, 2; cf. supra 15, 4: cui competat » etc.

Argumentatio itaque principalis habetur cc. 20. 21. 31–40.

Primo auctor firmum fundamentum ponere quaerit c. 20, enumerando facta historica, quae etiam ab adversariis rata haberi debebant. Inde c. 21 deducit regulam sive criterium, quo verum a falso diiudicari atque secerni valeat: « Hinc igitur dirigimus praescriptionem » etc. 21, 1. Tertullianus illud criterium appellat praescriptionem, a qua ut ab argumento principali etiam totius libri denominationem sumpsit.

Ipsum criterium sic enuntiat: « constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam,... omnem vero doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum ». 21, 4.

Criterio stabilito iam eius applicatio facienda erat tam ad catholicos quam ad haereticos, ut discernatur, utra pars habeat veritatem. Hanc applicationem etiam statim auctor indicat: « Superest ergo, uti demonstremus, an haec nostra doctrina... de apostolorum traditione censeatur et ex hoc ipso ceterae de mendacio veniant ». 21, 6.

Tamen non continuo Tertullianus hanc demonstrationem aggreditur, sed interim longiorem digressionem facit, de qua supra iam diximus. Igitur pro apto rerum nexu atque ordine necesse erat contextum intermissum paucis verbis resumere, quod revera fit c. 31. Propterea hoc loco non nova quaedam regula sive praescriptio statuenda est, sed eadem illa, quam auctor 21, 4. 5 proposuit, cum ipse expresse dicat: « Sed ab excessu revertar » 31, 1. Supra quidem concordantia cum ecclesiis apostolicis, hic vero prioritas temporis praedicatur ut criterium veritatis: « id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum ». 31, 3. Sed diversitas haec potius in verbis est, quam in re. Tertullianus formam mere externam mutavit propter sermonis varietatem et faciliorem criterii usum; secundum rem vero apostolicitatem et prioritatem, tamquam natura inseparabiliter coniunctas, ut unum idemque habet. Cf. 20, 8: « Sic omnes primae et omnes apostolicae ».

Post criterii recapitulationem Tertullianus iam suscipit demonstrationem supra 21, 6 annuntiatam. Primo criterium applicat ad haereticos: « Ea sententia manebit adversus posteriores quasque haereses ». 31, 4. Haec pars absolvitur cc. 32–34, ut constat ex initio capitis 35: « His definitionibus provocatae et revictae haereses omnes ».

Argumentatio hisce partibus constat:

a) Haeretici non habent « ordinem episcoporum suorum per successionem ab initio decurrentem », 32, 1–4;

b) Haereticorum « doctrina cum apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua » probatur non apostolica, 32, 5–6;

c) Haeretici « non recipiuntur in pacem et communicationem ab ecclesiis quoquomodo apostolicis ». 32, 8.

Circa doctrinam (ad *b*) deinde auctor speciatim instituit « ipsarum [haereticarum] doctrinarum recognitionem », 33, 1. Hic haeretici opprimuntur dilemmate: Aut eorum doctrinae tempore apostolorum fuerunt: tunc etiam ab ipsis apostolis damnatae sunt, 33, 1–12; aut nondum fuerunt: tunc ipsa novitate damnantur 34, 1-9.

Sequitur applicatio criterii ad catholicos, pro qua Tertullianus evocat haereticos, ut retorsione eiusdem argumentationis falsitatem fidei catholicae demonstrent: « audeant respondere et ipsae [haereses] aliquas eiusmodi praescriptiones adversus nostram disciplinam ». 35, 1; Paucis ostendit dilemma illud, de quo supra ad c. 33, catholicos non tangere: « Posterior nostra res non est », 35, 3; « Apostolis utique non damnatur », 35, 4. Tum positive probat apostolicitatem doctrinae catholicae tam e successione apostolica episcoporum, 36, 1–3, quam ex ipsa doctrina 36, 4–8.

Capita 37–40 continent conclusionem huius partis principalis atque ex eis, quae exposita sunt, consectaria deducunt. E dictis enim sequitur sacras scripturas ad catholicos tamquam ad legitimos haeredes pertinere. Itaque haeretici

a) ad scripturas sacras provocantes in bona aliena invadunt, 37. 3–7;

b) apud eos est « scripturarum et expositionum alteratio », 38, 1–10;

c) talis falsatio nihil habet dignum admiratione, 39, 1–7.

d) praesertim cum haeretici hac in re diabolum habeant adiutorem, 40, 1–10.

Restat, ut digressionem (cc. 22–30) accuratius examinemus. Materiam eiusdem praebent obiectiones adversariorum: « locum demus interim diversae parti », i. e. haereticis 22, 1. Obiectiones autem respiciunt ipsum criterium cc. 20 et 21 probatum et formatum. Duas statim auctor repetit obiectiones: « Solent dicere non omnia apostolos scisse, ...

omnia quidem apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse ». 22, 2. Ad primum respondetur 22, 3–24, 6; ad secundum cc. 25 et 26. His additur c. 27 tertia obiectio, « quod ecclesiae suo vitio aliter acceperint, quam apostoli proferebant », 27, 1, quae obiectio statim eodem capite refutatur. Tandem cc. 28–30 Tertullianus obiectionem ultimam diluit argumento ex absurdis, quae inde sequuntur: « Age nunc, omnes erraverint » etc. 28, 1. Cum hae obiectiones tendant ad labefactandum criterium, quod caput et cardinem totius operis constituit, solutio oppositorum maxime ad rem pertinet. Tertullianus criterium illud non ut thesin annuntiavit, quam postea rationibus probaret, sed illud deduxit ut legitimum consectarium e factis antea positis. Apte igitur et non praeter rem addit hanc confirmationem indirectam.

Ex dictis haec fluit dispositio argumentationis principalis:

1) Enuntiatio propositionis, quod haeretici non sint admittendi ad disputationem de sacris scripturis, c. 15.

2) Excursus sive prolusio de huius methodi veritate et iustitia, cc. 20–29.

a) Fundamentum criterii, c. 20;

b) Formatio criterii, c. 21;

c) Defensio criterii contra impugnatores, cc. 22–30.

3) Applicatio criterii cc. 31–36

a) ad haereticos, cc. 32–34;

b) ad catholicos, cc. 35. 36.

4) Conclusio huius partis, cc. 37–40.

Argumenta accessoria.

Appendicis instar parti principali adiiciuntur argumenta accessoria (cf. supra p. 7), quae leviter tantum cohaerent cum praecedentibus. Huius appendicis scopus indicatur 44, 1: « Proinde haec pressioris apud nos testimonia disciplinae ad probationem veritatis accedunt ». Argumenta clare indicantur initio capitum: « Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem », 41, 1; « De verbi autem administratione quid dicam? » 42, 1; « Notata sunt etiam commercia haereticorum cum magis » etc. 43, 1.

Igitur haec capita agunt

1) de disciplina apud haereticos, c. 41.

2) de praedicandi munere apud haereticos, c. 42.

3) de communicatione haereticorum cum fidei extraneis, c. 43.

Exordium et peroratio.

Argumentationi optime accommodatum est **exordium**. Exordium sumitur ab occasione scribendi, scilicet a necessitate temporis: « Conditio praesentium temporum etiam hanc admonitionem provocat nostram ». 1, 1. Finis eiusdem indicatur 15, 1. Cf. supra p. 7. Longior haec introductio duabus constat partibus, quod satis cognoscitur forma transitus initio capitis 8: « Venio itaque ad illum articulum » etc. Capita priora (1–7) continent « admonitionem » (1, 1) generalem cavendi haereses. In altera parte (cc. 8–14) propius iam acceditur ad propositum repellendi haereticos ab omni disputatione de sacra scriptura, monendo, ut caveant a quadam haereticorum captione, qua catholicos allicere tentant ad sciscitandum de scripturis.

Pro **peroratione** Tertullianus adhibet timorem poenarum aeternarum; mordaciter haereticis proponit iudicium finale totius mundi; deinde finem imponit operi, promittens: « De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus ». 44. 45.

Observatis hisce indiciis dispositionis, ab ipso Tertulliano datis, iam ordo rerum facile cognoscitur.

ORDO RERUM. (1)

A. EXORDIUM.

1. Occasio scribendi. 1, 1.

Occasionem scribendi paucis verbis absolvit. Eam dedit « conditio praesentium temporum », i. e. periculum fidelibus imminens ab haereticis. Statim auctor ad rem transit.

2. Admonitio generalis cavendi haereses. cc. 1–7.

Haec admonitio sonat, « non oportere nos mirari super haereses istas » 1, 1. Quo sensu id accipiendum, patet e sequente propositione, ubi pro *mirari* adhibet vocem *scandalizari:* « Vane ergo scandalizantur », 1, 2.

Tertullianus hoc loco distinguit *exsistentiam* et *efficaciam* haereseon: « sive quia sunt... sive quia fidem quorundam subvertunt » 1, 1. Huic distinctioni etiam pondus attribuit, quod e frequenti eius repetitione apparet. Observa: « causam, ob (= per) quam sit... vim, per (= ob) quam sit (fit), ne esse non possit », 1, 3; « quia est... quia erogat », 2, 1; « hoc eas esse... hoc eas posse » 2, 2; « malum de causa... de potentia » 2, 3; « esse illas... posse id » 4, 1. Huic divisioni respondet etiam « futuras... fugiendas » 4, 1. Auctor enim observaverat quosdam fidelium agitari et conturbari sola iam haereticorum exsistentia, vel quia erronee putabant providentiam divinam permittere non posse, ut haereses exsurgant, vel quia curiositate ducebantur ad sciscitandum de illis. Hos Tertullianus hortatur, ut cogitationes illas inutiles et periculosas abiiciant. Efficaciam, i. e.

(1) Pro iis, quae sequuntur, commendandum est, ut lector prae manu habeat textum Tertulliani.

vim seducentem haereseon, Tertullianus non infitiatur, sed inde ansam sumit hortandi, ut fideles omnem errandi occasionem periculumque studiose evitent.

Admonitionem suam Tertullianus **illustrat similitudinibus,**

a) febris, praesertim ut doceat deliberationes illas noxias esse deponendas, 2, 1–6.

b) pugnae pugilum et gladiatorum, ut moveat ad haereses fortiter repellendas, 2, 7–8.

Ultima propositio huius capitis, quod haereses nihil valeant contra fidem bene valentem, facile provocare poterat obiectionem: Sed etiam homines fidei bene valentis lapsi sunt in haeresim. Sane exemplum personarum praecellentium, qui ad haereses transierant, ex una parte admirationem et dubitationem quorumdam augere, ex altera vero parte attenuare poterat vim resistendi haeresibus. Merito itaque auctor hanc difficultatem respiciens agit **de lapsu personarum insignium,** c. 3.

Quidam scandalizantur exemplo personarum bene meritarum, quae ad partes haereticorum transeunt, 3, 1. 2; sed sine ratione sufficienti. Nam ipse eorum lapsus in haeresim probat eos non fuisse bene meritos (vel saltem eos in peius esse mutatos), 3, 3. Mutatio in peius non est admiratione digna, quod ostendunt casus Davidis, Sauli, Salomonis. 3, 4. Solus enim Dei Filius eximitur ab hac mutabilitate ad peccandum, 3, 5. E lapsu personarum officio (episcopus, diaconus, vidua) vel meritis (virgo, doctor, martyr) eminentium nihil deduci potest pro veritate haereseon, 3, 5. Nam non a personis ad fidem, sed a fide ad personas valet illatio. Porro de fide personarum certum iudicium ferre non possumus, quia nemo vere fidelis, nisi ad finem usque perseveraverit, quod utique ante mortem sciri nequit. 3, 6; quia fides est res interna; homo autem non videt nisi externa et saepe aliter iudicat, quam Deus, qui intuetur etiam arcana cordium; 3, 7. Lapsus tandem, etiam multorum, habet bonos quoque effectus, ideoque non est mirum, si Deus eum admittit. Per eum enim

a) ecclesia purgatur a sordibus, i. e. a membris indignis, 3, 8, 9;

b) ecclesia demonstratur vera ecclesia Christi, quia idem patitur quod Christus, a quo etiam discipuli plures recesserunt. 3, 10–14.

Rediens ad admonitionem supra dictam (cf. 4, 1 et 1, 1) eam **confirmat testimoniis.**

Testimonia haec desumuntur e verbis Domini (« dominicarum pronuntiationum ») et S. Pauli (« apostolicarum litterarum ») 4, 1. Cf. 44, 7 « dominicarum et apostolicarum denuntiationum ».

Pro **doctrina Christi** verba Matth. 7, 15 afferuntur (4, 2) et statim per partes ostenditur ea de haereticis esse intelligenda, 4, 3–5.

In hoc capite aut textus non integre traditus est, aut Tertullianus a solita accuratione aliquantisper recessit.

Verba Domini 4, 2 allegata per partes explicantur, ubi etiam 4, 4 de pseudoprophetis agitur. Et quia l. cit. Matth. pseudoprophetae hoc nomine appellantur, verisimile est Tertullianum scripsisse 4, 2 « multos esse venturos pseudoprophetas sub pellibus » etc.

Pars prior de dominicis pronuntiationibus clare incipit: « Instruit Dominus » etc. 4, 2. Transitus vero ad alteram partem de apostolicis litteris praeter Tertulliani consuetudinem nullo modo indicatur. Unde merito coniicitur aliqua hoc loco intercidisse.

Porro a 4, 7 ad 5, 5 inveniuntur verba: « iubet... dixerit alibi... increpat... subiungit... adiungat... profitetur... dicat... sciret... ostendit... crediderit... praemoneret... diceret... constituit... facit ». Quae omnia sine dubio de S. Paulo dicuntur. Sed nullibi antea Pauli mentio facta est. Etiam e verbis « si idem est Paulus », 6, 1. certum est Paulum antea nominari debuisse. Itaque huic capiti aliquid demptum videtur et quidem ante 4, 6; nam ab hoc loco uno tenore doctrina Pauli proponitur usque ad c. 7 incl.

Iam 4, 4 immiscentur pseudoapostoli (cf. 2 Cor. 11, 13) et antichristi (cf. 1 Ioh. 2, 18; 4, 3; 2 Ioh. 7), qui potius ab apostolis, quam a Christo nominantur. Tamen hoc loco non fieri transitum ad testimonia apostolicarum litterarum constat ex intimo nexu, quo haec sententia cum praecedente coniungitur, et etiam e forma, i. e. e continuatione interrogationum rhetoricarum et ex anaphora (pronomen QUI quinquies repetitum).

Tandem etiam nexus logicus non omnino aptus videtur. Nam si Tertullianus 4, 6 dicit: « Et ideo haereses quoque oportebat esse », e necessitate persecutionum colligit necessitatem haereseon. Nihil

autem in praecedentibus dictum erat de tali necessitate persecutionum.

Ad inducendum Paulum et ad supplendam hanc lacunam apte Tertullianus uti potuisset verbis: «gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem». Rom. 5, 3. 4. Sed ultra coniecturam solam progredi non possumus.

Auctor 4, 6 certe iam versatur in altera parte, i. e. in doctrina apostoli, 4, 6–7, 13. Invocatur hic testimonium Pauli 1 Cor. 11, 19 pro necessitate haereseon ad probationem fidei.

Attendenda sunt verba 4, 7: «Neque enim eos probabiles intelligi iubet, qui in haeresim fidem demutantes, sicut ex diverso, sibi interpretantur, quia» etc. (1). Contra illud effatum apostoli opponebant haeretici: Paulus l. cit. probabiles habet haereticos, quia ipsi servant praeceptum illud 1 Thess. 5, 21, quo iubentur examinare ea, quae crediturі essent. Haec obiectio auctorem movit ad inserendam specialem expositionem de quaestione, qui sint illi, quos S. Paulus *probabiles* (Vulg. *probatos*) vocat. Cf. 5, 5: «Ac per hoc non eos probabiles facit» etc. Quod notandum est, ne initium capitis 6 perperam intelligatur. Ibi enim per verba «Nec diutius de isto» Tertullianus relinquit interpretationem vocis *probabilium*, nondum vero doctrinam Pauli de haeresibus, de quibus etiam cc. 6 et 7 agit. Igitur verba Pauli «ut probabiles (Vulg. qui probati sunt) quique manifestarentur» occasionem praebent obiectioni. Adversarii enim contendunt voce probabilium designari haereticos, quod probant e 1 Thess. 5, 21. Ibi Paulus iubet omnia examinare, antequam crederent, quod haeretici diligenter observare praetendunt. Tertullianus respondet

a) ad rationem allatam, male examinando perveniri posse ad malum, 4. 7.

(1) Parum interest, utrum cum codice Agobardino legamus *demutantes*, quo casu *sicut ex diverso* inter commata ponendum est, ne propositio relativa careat verbo; an cum plerisque editoribus *demutant*. In priore lectione haeretici sibi vindicarent illud 1 Cor. 11, 19 idque probare tentarent loco 1 Thess. 5, 21. In altera lectione obiectum, quod sibi interpretantur, sunt verba 1 Thess. 5, 21, quo casu *quia* idem valeret ac *quod*. Certo prior lectio melius congruit contextui.

b) ad textum 1 Cor. 11, 19 his verbis haeresim damnari ut malum; nam haeresim adnumerat malis, 5, 1. 2; imo sua argumentatione ostendit eam maius esse malum, quam schisma, 5, 3 (1); haeresis comprehenditur in obiurgatione eorum vitiorum, quibus pax et unitas ecclesiae turbatur, 5, 4. 5. Initio capitis 6 auctor claudit solutionem huius obiectionis et redit ad argumentum, scilicet ad doctrinam Pauli de fuga haereseon. Simul autem subindicat (« si idem est Paulus, qui » etc.) datam responsionem sequentibus magis confirmari. Primum itaque testimonium Paulì a Tertulliano allatum respicit **exsistentiam haereseon**, 4, 6–5, 5, refutatione tamen obiectionis trahitur ad probandum haeresim ab apostolo ut malum damnari.

Sequitur testimonium Gal. 5, 19. 20. aliarumque epistolarum Pauli, 6, 1. 2, unde auctor occasionem capit loquendi de **notione haereseos**. Verba enim « ut a semetipso damnatus » (Vulg. clarius « proprio iudicio condemnatus », Tit. 3, 11)

(1) Sententia haec (5, 2, 3) intricata et incondita forsitan studiose ita posita est, ut animus legentis avocetur a vitiis argumentationis. Pro intellectu huius loci nota: Post *maius* (5, 2) non debet poni punctum. Si enim separamus propositionem causalem (« cum ideo credidisse » etc.) a praecedentibus, *cum* causale mutaretur in *cum* narrativum, cui obstat tempus praesens in *dicat*. Thesis probanda est: (Paulus haeresim) malum maius profitetur. Ratio adducitur e S. Scriptura (« et ex parte credo. Nam oportet » etc. l. cit.): « cum ideo credidisse se dicat de schismatibus, quia sciret etiam haereses oportere esse ». Cum autem consecutio huius rationis non liqueat, pro ulteriore probatione additur: « ostendit enim gravioris mali conspectu de levioribus se facile credidisse ». Hucusque omnia satis plana sunt. Sequitur propositio elliptica « certe non » supple: id dixit, scil. credidisse se de schismatibus, quia sciret etiam haereses esse oportere». Ne adversarii inde concluderent haereses esse bonas, auctor expresse hanc consecutionem reiicit: non « ut ideo de malis crediderit, quia haereses bonae essent, sed uti de peioris quoque notae temptationibus praemoneret non esse mirandum (supple: si fiunt temptationes minores ut e. gr. schisma). Propositio relativa « quas diceret tendere ad probabiles quosque manifestandos » referenda est ad « peioris notae temptationes » i. e. ad haereses (cf. 4, 6). Altera propositio relativa « scilicet quos [tentationes sive haereses] non potuerint depravare » ad « probabiles » referri debet. Tota haec interpretatio vitium habet, quod distinguit inter schisma et haeresim, quae a Paulo l. cit. ut synonyma habentur.

propriam naturam haereseos indicant, quae etiam definitione etymologica comprobatur. Haeresis enim idem est ac electio, i. e. ea animi dispositio quae proprium iudicium praeponit auctoritati Dei revelantis. Talis dispositio sua sponte ducit ad doctrinas fidei contrarias, sive ad haeresim obiectivam 6, 2 (1). Nobis haec eligendi libido non licet, quod constat e damnatione, de qua loquitur apostolus 6, 3, e doctrina et exemplo apostolorum, 6, 4; neque etiam iuxta Gal. 1, 8, si angelus aliam nobis doctrinam annuntiaret, 6, 5, sicut factum est ab angelo malo in Philumene et Apelle haereticis, 6. 6.

Etiam capite 7 doctrina Pauli continuatur, quod facile perspicitur e 7, 1 et 7, 7, quae solis verbis apostoli constant. Hic autem agitur praecipue de **origine haereseon**. E verbis Pauli 2 Tim. 4, 3; 1 Cor. 1, 27; 3, 19; duas theses colligit:

a) « Hae sunt doctrinae [i. e. haereticae] ... natae de ingenio sapientiae saecularis », 7, 1, i. e. haeretici suas sententias e philosophia ethnica deprompserunt.

b) « haereses a philosophia subornantur », 7, 2. i. e. a philosophis etiam media sive instrumenta defensionis acceperunt.

Hoc loco (7, 2) philosophia a Tertulliano vocatur « temeraria interpres divinae naturae et dispositionis », quae verba non de unitate et trinitate Dei intelligenda sunt, quia haec christiana mysteria a philosophis incredulis ignorabantur et quia Tertullianus loquens de Deo uno et trino potius dixisset SUBSTANTIAE pro NATURAE et probabilius etiam OECONOMIAE pro DISPOSITIONIS. Natura hic significat idem, quod creatura, quae divina vocatur, quia a Deo facta est. De mundi origine (natura) et ornatu (dispositione) multum disputabant philosophi.

Ad primum (haereses sunt natae de ingenio sapientiae saecularis) Tertullianus affert exempla (7, 3–5), scilicet:

Valentini dependentiam a philosophia Platonica, Mar-

(1) Hoc modo facile solvitur difficultas, quae continetur in verbis Tertulliani: « haereses..., quarum opera sunt adulterae doctrinae, haereses dictae » etc. Hic haereses sumuntur prius in sensu subiectivo, secundo loco in sensu obiectivo. Potest tamen etiam tota haec difficultas evitari, si post adulterae doctrinae interpungitur, ut « haereses dictae » ad propositionem sequentem pertineant.

cionis a stoica (7, 3) [1], negantium animae immortalitatem ab Epicuro, negantium resurrectionem corporum ab omnibus philosophorum scholis, asserentium deum et materiam esse aequales a Zenone, statuentium deum ignitum ab Heraclito (7, 4). Generatim eaedem quaestiones a philosophis et haereticis agitantur, 7, 5.

Ad secundum (haereses a philosophia subornantur) spectant 7, 6–8. Dialectica Aristotelica (7, 6) a Tertulliano ponitur ut administra fabularum et quaestionum a S. Paulo 1 Tim. 1, 4; 2 Tim. 2, 17. 23; Col. 2, 8 reprobatarum, 7, 7. Apostolus autem hac in re loquitur expertus, 7, 8: « Fuerat Athenis » etc. Mentio Athenarum occasionem praebet opponendi Athenis Hierosolyma, academiae Platonis ecclesiam Christi, 7, 9, stoae Zenonis porticum Salomonis, 7, 10; cf. Act. 5, 12. Interrogatio rhetorica, antitheses et anaphora ostendunt auctorem in excitatione affectuum versantem. Tandem 7, 11. 12 redit admonitio generalis, sed forma aliqualiter mutata propter ea, quae sequuntur. Pro *non oportere nos mirari* hic dicit *curiositate opus non est... nec inquisitione*. Ita etiam simul praeparatus est transitus ad alteram partem exordii.

3. Admonitio specialis cavendi certam haereticorum captionem, qua catholicis suadent liberum examen s. scripturae, cc. 8–14.

Auctor iam propius accedit ad thema propositum (de non admittendis haereticis ad disputationem de ss. scripturis; transeundo ad admonitionem, quae specialiter s. scripturam concernit: « Venio itaque ad illum articulum » etc. 8, 1. Materia huius articuli est provocatio ad liberum examen s. scripturae, quae fit ab haereticis seducendi causa et a catholicis e curiositate per verba Matth. 7, 7 (Luc. 11, 9): « Quaerite

[1] *Deus melior de tranquillitate* iuxta usum loquendi Stoicorum intelligi debet. Tranquillitas latine, quod apud Stoicos ἀπάθεια. Marcion enim praeter deum veteris testamenti iustum, severum, iratum asseruit « deum solius bonitatis » 34, 3.

et invenietis », 8, 2. Sine mora Tertullianus incipit confutationem. Confutatio duplici modo perficitur:

a) ostendendo verba illa ad christianos non pertinere; in hac re versatur c. 8;

b) concedendo verba ad christianos pertinere, tamen negando inde sequi libertatem quaerendi sive liberum examen s. scripturae. De hoc agitur cc. 9–13.

Verba illa (Mt. 7, 7) ad catholicos non spectare probatur exegetice, i. e. expositione eorum

iuxta tempus, quo dicta sunt, scil. quando dignitas Christi nondum agnita erat, 8, 3. 4;

iuxta auditores, i. e. Iudaeos. Ad Iudaeos illa verba dicta esse probatur,

quia Iudaei habebant leges et prophetas, apud quos quaerere poterant 8, 5. 6;

quia etiam verba, quae immediate textum illum sequuntur de solis Iudaeis verificantur, 8, 7. 8, non vero de ethnicis, 8, 9. 10.

quia idem dici debet de verbis antecedentibus, 8, 11.

quia aliis quoque locis (Matth. 15, 24. 26; 10, 15), probatur tunc nondum ethnicis esse praedicatum 8, 12. 13.

Quodsi opponitur mandatum Christi (Matth. 28, 19) praedicandi nationibus (8, 14), inde potius sequitur non opus esse inquisitione, cum salus ultro veniat per Spiritum sanctum ad apostolos et per apostolos ad nos. 8, 15.[1]) Tandem praeveniens obiectionem, quod « omnia quidem Domini dicta omnibus posita sunt », auctor respondet distinguendo « proprietatem admonitionis » et « exemplum ». Quae certis tantum personis constituunt « proprietatem admonitionis » i. e. propriam admonitionem, pro omnibus valent non ut norma agendi, sed ut exemplum, i. e. utilis doctrina.

Tertullianus in confutando saepe post primam argumentationem adversariis facit concessionem, ut ostendat ea non obstante sententiam adversam esse falsam. Ita et hic concedit

---

[1]) *Et hoc ergo illo facit.* Hoc loco *illo* est adverbium = ad illam rem. Sensus ergo est: et hoc, i. e. illud Christi mandatum, ad hanc rem demonstrandam, quod inquisitione opus non est, facit, i. e. confert.

verba « Quaerite et invenietis » ad omnes ideoque etiam ad catholicos pertinere et statim demonstrat nihilominus admitti non posse examen liberum s. scripturae. Itaque nunc vult probare verbis illis (Matth. 7, 7) catholicis tantum permitti examen certis terminis circumscriptum.

Metaphora 9, 1 « tamen et hic expetit sensus certare cum interpretationis gubernaculo » non est satis plana. Vox certandi sua sponte auctori offerebatur, quia iam illa metaphora « Cedo nunc sponte de gradu isto » ab usu loquendi pugnatorum desumpta erat. Altera metaphora « interpretationis gubernaculum » a navi petita est. Itaque quod pro navi est gubernaculum, id pro sensu s. scripturae est interpretatio. Difficile intelligitur quomodo navis certet cum gubernaculo; sed forsitan hoc modo explicari potest: Cum quaelibet contorsio gubernaculi vim aquarum frangere debeat et quasi vim inferat navi hoc pugnae simile videtur. Sed tali pugna efficitur, ut navis rectum cursum teneat. Ita etiam inquisitio sensus non ad arbitrium et libidinem fieri, sed quasi pugnam subire debet cum regulis interpretationis, ut ex hac pugna oriatur recta intelligentia s. scripturae. De industria Tertullianus utitur verbo certandi, ut gravius exprimat, quibus limitibus examen s. scripturae cohibeatur.

Thesis probatur hoc modo: Necessaria est ad rectum intellectum s. scripturae interpretatio, 9, 1; nam non ille a nobis quaerendus est sensus, quem verba forsitan admittunt, sed qui intentioni auctoris congruit, 9, 2. Talis autem sensus est unus et determinatus; « unum itaque et certum aliquid institutum esse a Christo » 9, 3. Sensui autem uno et determinato repugnat inquisitio illimitata [1]. Itaque inventio finem facit quaerendi. Doctrina Christi eo quoque sensu determinata est, ut non sit capax augmenti: « dum hoc insuper credis, aliud non esse credendum ». 9, 4. Haec autem doctrina Christi penes catholicos invenitur, (qui proinde non habent, quod quaerere debeant). Assertio haec de veritate penes catholicos exsistente postea (praesertim cc. 35. 36) probabitur (« constabit »), 9, 5. Sed nondum statim auctor transit ad thesim principalem, sed potius materiam hanc de

[1] *Unius porro et certi instituti.* Institutum = institutio = doctrina, quae una est, i. e. non varios sensus sub se comprehendit, et certa; quia mutari non potest.

recta ratione interpretandi verba « Quaerite et invenietis » continuare et accuratius enucleare vult, quod facit in forma digressionis: « Interim... praevenio admonens » etc. 9, 6. Agitur itaque

de ratione dicti huius « Quaerite et invenietis », cc. 10–14.

Pro recta interpretatione huius loci tria sunt observanda:

1. res = quid sit quaerendum,

1. tempus = quando sit quaerendum,

3. modus [1] = quousque sit quaerendum, 10, 1.

Proinde quoad praesentem quaestionem quaerendum est:

1. « quod Christus instituit », non quod alii docent;

2. « quamdiu non invenis », post inventionem a quaerendo cessandum est,

3. « donec invenias », i. e. intra iustos limites. 10, 2–5.

Ad primum pertinent 10, 6–9; cf. « quod Christus instituit » 10, 9. Auctor exponit: Si praeter doctrinam Christi quaerere deberemus etiam placita aliorum, fides esset impossibilis, 10, 6. Nam semper novi haeretici illud « Quaerite » innovarent nosque sine fine agitarent, 10, 7. 8, ut numquam fidem Christi assequi valeamus 10, 9.

Ad secundum spectat integrum caput 11; cf. 11, 8–10 « quaerit semper,... semper pulsat,... semper petit ». Similitudine « impune vagatur, qui nihil deserit », 11, 1) auctor vult docere eos impune quaerere, qui rem desideratam non habent, ideoque rei acquisitionem esse finem quaerendi. Itaque qui credidit, ulterius quaerendo prodit se fidem vel non habuisse vel amisisse. 11, 2. Hinc sequitur verbum « Quaerite » tamdiu valere, quamdiu fides non habetur, 11, 3. Quod illustratur exemplis biblicis

quaerendi (Luc. 15, 8), de muliere drachmam amissam quaerente, 11, 4;

pulsandi (Luc. 11, 5–8), de vicino panem petente; 11, 5

petendi (Luc. 18, 2–5) de vidua auditum iudicis poscente, 11, 6.

Horum exemplorum doctrina verbis Domini, Matth. 7, 8

[1] Modus = mensura, limites rei.

confirmatur. 11, 7. In sequentibus (11, 8–10) attende ad anaphoram (« Viderit, qui »), ad parallelismum membrorum inter se et ad parallelismum cum exemplis supra 11, 4–6 positis.

Ad tertium pertinent cc. 12–14. Agitur hic de modo, i. e. de limitibus, intra quos etiam post fidem acceptam catholicis quaerere permittitur. Duo imprimis Tertullianus circa hanc rem praecipit, scilicet, ut inquisitio fiat

a) apud catholicos, non « apud haereticos ». 12, 1. Hoc praeceptum confirmatur similibus, scil. servi et militis, 12, 2, mulieris, vicini et viduae (de quibus iam 11, 4–6. 8–10) 12, 3, et argumento e rei natura petito, 12, 4. Concludit: « Quaeramus ergo in nostro et a nostris et de nostro » et adiungit alterum praeceptum, scil. ut quaeratur

b) secundum regulam fidei: « idque dumtaxat, quod salva regula fidei potest in quaestionem venire » 12, 5; cf. 14, 1, « manente forma eius in suo ordine ».

Mentio regulae fidei occasionem praebet auctori inserendi regulam ipsam, eo praesertim fine, ut principales statuat articulos, qui contra haereticos defendendi erant: « ut iam hinc, quid defendamus, profiteamur » 13, 1. Regula continetur 13, 2–5. Contra haereticos, quos Tertullianus praecipue hoc opere respicit, iam nuda verba regulae sufficere poterant ad redargutionem errorum.

Regula fidei formam fixam et certam habebat; secus enim non fuisset norma stabilis credendi. Idem etiam constat comparatione huius loci cum aliis eiusdem Tertulliani, ubi etiam huius regulae mentionem facit, scil. infra c. 36, 5; l. de virg. vel. c. 1; l. adv. Praxean. c. 2. Ordo rerum et in parte etiam concordantia verborum indicant textum certum, quem auctor scribendo in mente habuit et pro opportunitate secutus est. Discrepantiae, quae locis laudatis observantur, saltem pleraeque, repeti debent a scopo singulorum librorum. Ita e. g. post « unum omnino Deum esse » additur « nec alium praeter mundi conditorem » propter haeresim Marcionis; cf. 34, 3: « donec Marcion praeter creatorem alium deum solius bonitatis induceret »; cf. etiam « alius deus, quam creator » 23, 11; « alium deum in ecclesia, ... alium in hospitio », 26, 10 — « qui universa de nihilo produxerit » propter Hermogenem; cf. 33, 9 « qui materiam non natam introducens deo non nato eam comparat » — « per Verbum suum » propter Apellem, qui statuit « creatorem angelum

nescio quem gloriosum superioris dei » 34, 4. — « primo omnium emissum » propter Valentinum, qui « Sermonem et Vitam » in posteriore generatione collocat, 33, 8. — « in nomine Dei varie visum patriarchis, in prophetis semper auditum, postremo delatum e spiritu Patris Dei » propter Marcionem additum videtur, quia « Marcion novum testamentum a vetere separavit » 30, 9; — etiam « exinde praedicasse novam legem et novam promissionem regni coelorum » propter eamdem rationem; carnem factum in utero eius propter illos, « qui Christum negarent in carnem venisse, ... illud Marcion vindicavit » 33, 11. Utique etiam ea, quae huic formae communia sunt cum regulis a Tertulliano alibi allatis opponuntur certis erroribus haereticorum, ut e. g. illud « cum carnis restitutione » (de virg. vel. c. 1 « per carnis etiam resurrectionem »), quo reprobantur, « qui resurrectionem carnis infringunt », 33, 4; cf. 7, 4.

Vi vocis regula fidei non est idem ac symbolum baptismale. Tamen primis ecclesiae temporibus eadem utriusque videtur fuisse forma. Tempore vero procedente orta est inter utrumque differentia. Symbolum enim usu liturgico consecratum non facile admittebat additiones. Regula autem fidei paulatim ampliari debuit propter necessitatem compescendi haereses in dies succrescentes; secus non fuisset apta norma credendi pro fidelibus et medium sufficiens ad excludendum dogmata perversa.

Positis (cc. 10–14) conditionibus Tertullianus etiam catholicis inquisitionem circa fidei veritates permittit, etsi eam hoc quoque casu dissuadeat. Ipse affert duas rationes sive occasiones quaerendi:

a) si verba scripturae sacrae plures interpretationes, utique regulae fidei conformes, admittunt: « si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere » 14, 1.

b) si sensus verborum non patet: « vel obscuritate obumbrari », ib.

Sed quasi timens abusum statim repetit monitum, ut cum fratribus, i. e. cum catholicis, talia studia exerceantur, 14, 2 [1]. Neque etiam sic auctori videtur abesse omne pericu-

[1] Textus hoc loco corruptionem passus est. *a)* Pro *aliquid tecum curiosius* legendum videtur *aliquis tecum curiosus*, imprimis propter anaphoram. Post *curiosus* ante *quaerens* aliqua verba vel exciderunt (codex Agobardinus), vel minus recte tradita sunt (codex Seletstadiensis

lum; ideo inculcat fidem, regulam, salutem longe anteponendas esse curiositati, exercitationi, gloriae (humanae), 14, 3–5 [1]).

Tum auctor redit ad vetitum quaerendi apud haereticos. Iterum suo more validas rationes in forma concessionis [2]) proponit, scil.

a) haeretici sunt inimici veritatis;

b) haereticos fugere debemus (cf. supra cc. 4–7), 14, 6. Has rationes forma concessionis potius firmare quam minuere vult. Ita enim abundantia argumentorum apparet. Sequitur deinde tertia ratio in forma dilemmatis. Notanda est enim oppositio sita in verbis « Si enim adhuc vere quaerunt » 14, 7 et « cum decipiendi gratia praetendant », 14, 9. Aliis verbis: Haeretici illud « Quaerite » iactant aut animo sincero, i. e. vere quaerunt, quia veritatem nondum possident, aut animo fraudulento, i. e. fingunt se quaerere, etsi iam habeant sua placita statuta et fixa. Iam Tertullianus respondet: *Si primum*, sequitur frustra apud haereticos quaeri veritatem, quam ipsi non habent. Hoc argumentum allusione ad Matth. 15, 14 (« caecus a caeco in foveam deducaris » 14, 8) confirmationem quamdam biblicam obtinet. 14, 7. 8. *Si secundum*, tunc pro catholicis valere debet praeceptum non negandi Christum, sed potius eos, qui Christo adversantur. Christi autem adversarii sunt haeretici, quod probatur ipso-

---

et Leydensis). Hi duo codices conveniunt in eo quod habeant *tamen*. Sed hoc solum (ut in cod. Leyd.) non dat sensum sufficientem, neque etiam, si (cum cod. Seletst.) legitur *tecum tamen*, quia non videtur oppositio per *tamen* indicata. Sensus postulat, ut exprimatur illa conditio saepe nominata, scil.: aliquis tecum curiosus, tamen iuxta regulam fidei quaerens. Huic sensui responderet aliquo modo lectio codicis Leydensis, si *tecum* mutaretur in *verum:* aliquis tecum curiosus, verum (veritatem fidei) tamen quaerens. *b)* quia *quod debeas nosti.* Haec lectio codicis Agobardini certe bonum sensum praebet et contextui optime congruit. Potest quidem esse glossa marginalis in textum recepta, quia haec verba desunt in cod. Seletstad. et Leyd. Reiicienda tamen est coniectura Erwini Preuschen *quam quod debeas non nosti*, cum certe repugnet menti Tertulliani.

(1) Haec Tertulliani verba laborem theologorum parvi aestimant. Ea tamen potius ardore polemico, quam ex animi sententia dicta videntur.

(2) 14, 6 observa bis *ut* concessivum.

rum confessione. Dicendo enim se quaerere negant se habere fidem Christi, quam proinde aut nunquam habuerunt aut iam obtentam abiecerunt. Et si ficte tantum ita loquuntur, saltem externe fidem christianam negant, quod eos demonstrat non christianos. Ergo qui nec sibi sunt christiani, multo minus a nobis pro christianis haberi possunt. Porro si ficte dicunt se quaerere, ut nos alliciant, et postquam nos allexerunt, ostendunt se habere doctrinam iam fixam, fallacia est. Ergo, qui per fallaciam veniunt, fide digni esse non possunt. 14, 9–13.

Versu 14, 10 auctor repetere videtur idem, quod iam 14, 7, dixerat; sed aliam hinc et illinc deducit consequentiam. Nam 14, 7 e confessione haereticorum, quod adhuc quaerant, demonstrare vult incassum quaeri apud tales, qui ipsi non habent. Ex eadem confessione 14, 10 probare conatur haereticos esse Christi adversarios.

Tandem 14, 14 facit transitum ad partem principalem totius operis. Consuetudo enim haereticorum invocandi testimonium s. scripturae sua sponte provocat quaestionem, quomodo cum eis ita pellicentibus sit agendum. Longior haec praefatio ratione et via procedit a generalibus ad particularia idque consulto et scienter, quod Tertullianus ipse testatur: «huc enim dirigebamus» etc.

B. PROPOSITIO.

Capite 15 demum propositio inducitur. Pro meliori huius loci intellectu notandum est verba congrediendi, provocandi, obtendendi, gradum obstruendi ex usu loquendi gladiatorum desumpta esse. Igitur expositio haec lucem accipit e metaphora pugnae.

Auctor distinguit provocationem (invitationem et praeparationem proximam ad certamen) et congressum seu ipsum praelium. Provocatio fit ab haereticis obtendendo (quasi scutum) scripturas, quo iam timidiores fideles moventur. Congressus est ipsa disputatio de doctrinis s. scripturae. Pro pugnantium diversitate Tertullianus discernit firmos, medios et infirmos, prout vires eorum sunt maiores vel aequales vel minores viribus adversariorum. Studiose auctor non loquitur de victoria firmiorum, cum id thesi suae (vide infra)

obfuisset. Potius breviter anticipat ea, quae cc. 17. 18 dicturus est de exitu talium certaminum, qui consistit in firmiorum fatigatione, mediorum vulneratione (scrupulo), infirmiorum ruina (capiuntur haeresi), 15, 2. Quapropter Tertullianus eo tendit, ut huius positionis opportunitatem adversariis adimat eisque scutum sacrae scripturae extorqueat. Ad hunc finem statuit thesim haereticos non esse admittendos ad ullam de scripturis sacris disputationem, 15, 3 [1], quia scripturae ad eos non pertinent, 15, 4; cuius sensus est: Haeretici repellendi sunt generali argumento semota omni disceptatione de eorum opinionibus in particulari.

Haec methodus repugnandi haeresibus certe non erat omnino nova. Eadem ratione iam S. Irenaeus usus erat in suo opere adversus haereses. Verum nemo ante Tertullianum tam expresse, tam systematice, tam aperte hanc viam tentaverat. Propterea non illico transit ad probationem, sed antea hanc methodum apologeticam iustificare studet, cuius rei causa brevem praemittit prolusionem.

C. PROLUSIO.

De methodi propositae veritate et bonitate, cc. 16–19.

Auctor initium sumit a duabus obiectionibus, quas ipse sibi facit, quae tamen facile ab adversariis afferri poterant, scilicet

a) quod hic modus pugnandi prodat animum non habentem causae suae fiduciam. « Hoc de consilio diffidentiae ... induxerim »; vel

b) quod idem modus habeat vitium, scilicet mutationis elenchi: « aut de studio aliter ineundae constitutionis » [2] 16, 1.

Has obiectiones auctor non refellit, sed inde transit ad positivas rationes, quibus ad hunc arguendi modum inductus sit.

---

[1] Cf. supra, p. 7, nota 1.

[2] Constitutio idem significat ac status quaestionis.

Prior ratio (« ratio... imprimis illa » 16, 1) petitur a praecepto S. Pauli apostoli, quo prohibet quaestiones (2 Tim. 2, 23; Tit. 3, 9), vocum novitates (1 Tim. 6, 20), conversationem cum haereticis post unam correptionem eorum (Tit. 3, 10) 16, 1. Ultimum auctor paulo enucleatius exponit, 16, 2.

Tit. 3, 10 legitur: « Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita » (Vulg.). Tertullianus (etiam 6, 1) non solum omittit ET SECUNDAM, sed etiam UNAM speciali modo premit. Eadem omissio invenitur apud Cyprianum, Testim. l. III; ed. Hartel 1868, CSEL, Cypr. opp. I p. 172, lin. 12; Epistola 59: ib. II p. 690 lin. 1; apud Luciferum Calarit., de non conveniendo cum haereticis, c. 14; ed. Hartel 1886, CSEL, p. 30, lin. 26; apud Ambrosium, Expos. Luc. VI, 68; ed. Schenkl, 1902, CSEL, p. 260, lin. 20. et ibid. VII, 31; p. 296, lin. 2; aliter ibid. p. 256, lin. 8. Hi omnes, cum Latini sint et Tertulliani opera cognita habuerint, exemplo Tertulliani ad hanc omissionem inducti videntur. Tertullianus aut memoriae vitio illud omisit aut forsitan exemplar s. scripturae habuit in illo loco mendosum.

Secunda ratio sumitur ab experientia, quod tales disputationes cum haereticis ad irritum cadunt et proinde sola methodus supra descripta bonum successum habet. Nihil enim disputationes illae efficiunt, nisi vel cordis concitationem vel mentis perturbationem (« stomachi... eversionem aut cerebri » 16, 3). Ut amplius demonstret disputationes eiusmodi vanas esse atque inutiles, auctor exponit, *quomodo haeretici tractare soleant libros sacrae scripturae:*

a) aut certos libros omnino respuendo (« Ista [1] haeresis non recipit quasdam scripturas »),

b) aut librorum admissorum textum corrumpendo vel interpolatione vel mutilatione (« et adiectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit »). Haec duo 17, 2 comprehenduntur uno vocabulo « corruptor stilus ».

c) aut textum intactum violenta interpretatione ad sensum falsum detorquendo (libros sacros « diversas expositiones commentata convertit », id quod 17, 2 dicitur « adulter sensus ») 17, 1. Iuxta modernum usum loquendi

[1] *Ista* = aliqua.

Tertullianus haereticis obiicit falsum exercitium *a)* criticae superioris, *b)* criticae inferioris, *c)* hermeneuticae.

Hac via et ratione haeretici defendunt suas assertiones, quas

« ex falso composuerunt », i. e. ad libidinem sibi confinxerunt, de qua re cf. supra 6, 2–4.

« et de ambiguitate ceperunt, i. e. e locis s. scripturae ambiguis vel obscuris deprompserunt. 17, 3.

His praemissis Tertullianus iam *fructus* recenset, qui e disputationibus cum haereticis provenire solent et quidem

a) ipsi disputanti, 17, 4. 5. Disputator intelligitur sub vocabulo « exercitatissime », quod sensu concessivo (= quantumvis sis exercitatus) dictum est. Huic disputatio infructuosa est, quia perdit « vocem in contentione » et nihil consequitur « nisi bilem de blasphematione », 17, 5.

b) illi, propter quem disputatio instituitur, 18, 1. 2. Hic a disputatione « incertior discedet, nesciens quam (partem) haeresim iudicet ». 18, 2.

Auctor ultro fatetur haec, quae ipse de haereticis dixit cc. 17 et 18, ab illis retorqueri posse contra catholicos. Sed hoc ipso magis cognoscitur, quam incertus sit exitus talium altercationum, et confirmatur thesis 16, 3 enuntiata: « Nihil proficit congressio scripturarum ».

Initio capitis 19 Tertullianus hanc prolusionem de methodo apologetica terminat, quod forma conclusionis (« Ergo non ad scripturas provocandum est » etc.) indicatur. Videtur quidem hanc rem ulterius prosequi et tertiam subiungere rationem e natura rei petitam, quam more modoque suo sub forma concessionis (cf. 9, 1; 12, 1; 14, 6) inducit: « Nam etsi non ita evaderet,... ordo rerum desiderabat illud prius proponi » etc. Sed illud prius proponendum « quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturae » est ipsum argumentum principale. Cf. supra 15, 4: « dispici debet, cui competat possessio scripturarum ». Haec itaque tertia ratio affertur, ut auctor habeat transitum ad argumentum principale, « quod nunc solum disputandum est ». 19, 2. Ordo rerum postulat, ut e vera fide aestimemus genuinitatem, integritatem, expositionum (« veritas scripturarum et expositionum et omnium tra-

ditionum christianorum » 19, 3) scripturae sacrae, non e contrario. Proinde primo quaerendum est, ubi sit fides vera.

D. ARGUMENTUM PRINCIPALE CC. 20-40.

I. Criterium quo vera fides a falsis doctrinis internoscitur. cc. 20–31.

Tertullianus subtiliter et graviter procedit. Primo studet ponere firmum fundamentum et propterea initium sumit ab assertionibus vel potius a factis historicis, quae pari modo a catholicis et ab haereticis illius temporis admittebantur; ea vero, de quibus controversia erat inter catholicos et haereticos, ab his fundamentis diserte excludit. Ideo dicit: quisquis, cuiuscumque etc. (20, 1), non ex indifferentismo dogmatico neque e dubio sceptico, sed tantum e dubio methodico (attende ad verba: « permittat dicere interim »), ut pro nunc articulos controversos extra considerationem ponat. Veritates huiusmodi Tertulliano et adversariis communes, quae pro fundamento servire poterant, hae sunt: « Christus Iesus, dominus noster » est persona historica (« quisquis est »), idem aliquo saltem modo est Dei Filius (« cuiuscumque dei filius »), qui utcumque homo et Deus est (« cuiuscumque materiae homo et deus »), qui aliquam saltem fidem docuit (« cuiuscumque fidei praeceptor ») et aliquam saltem retributionem statuit (« cuiuscumque mercedis repromissor ») 20, 1. Quae reduci possunt ad duo, scil.: ad Christi auctoritatem utcumque divinam et ad factum revelationis per eum datae. Deinde auctor ulterius progreditur per facta historica: Hic Christus docuit palam populum et privatim apostolos sive duodecim discipulos, quos magistros nationum elegit, 20, 2. Post Iudae interitum Christus a morte redivivus et ad Patrem ascensurus apostolis dedit mandatum docendi et baptizandi 20, 3. Apostoli mandatum hoc exsecuti sunt et primo in Iudaea, deinde etiam alibi per orbem ecclesias fundarunt, unde postea novae ecclesiae originem trahunt mutuando « traducem fidei », 20, 4. 5. Quo nexu etiam ecclesiae recentiores fiunt vere apostolicae, 20, 6.

Positis his fundamentis auctor inde deducit criterium verae fidei. Hoc criterium consistit in eo, quod *apostolicitatem* appellamus, et sua sponte profluit ex ordine revelationis, quae a Patre procedit per Filium ad apostolos et ab apostolis ad ecclesias eorum opera fundatas, 21, 1–3. Forma criterii enuntiatur

a) positive: « **constat perinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis... conspiret, veritati deputandam** », 21, 4.

b) negative « **omnem vero doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum** », 21, 5.

Hoc loco, 21, 1 post libri inscriptionem prima vice occurrit vocabulum PRAESCRIPTIONIS, cuius frequens est usus apud Tertullianum; cf. ed. Reifferscheid et Wissowa, CSEL, Tertull. I, ad nat. I, 3, p. 62, lin. 21; II, 1, p. 93, lin. 20; de bapt. c. 3, p. 202, lin. 18; ed. Kroymann, Tertull. III, adv. Hermog. c. 1, p. 126, lin. 3; adv. Prax. c. 2, p. 229, lin. 20; adv. Marc. I 1, p. 292, lin. 8; IV 4, p. 428, lin. 25; 5, p. 432, lin. 9; 38, p. 549, lin. 28; V, 8, p. 597, lin. 27; 19, p. 642, lin. 26; Apologet. 7, 2 ed. Rauschen 1912[2] p. 30; 47, 10, ib. p. 132; De virg. vel. c. 1, ed. Oehler I, p. 883, lin. 5; De carne Chr. c. 2, Oehler II, p. 428, lin. 6.

Vox praescriptionis multiplicem sensum admittit. Hoc loco posset quidem significare praescriptum = praeceptum sive regulam agendi. Sed quia ab hac praescriptione sumptus est libri totius titulus, eadem esse debet significatio vocis in utroque loco. Inscribitur autem liber de praescriptione haereticorum, non vero de praescriptione contra haereticos. Illa ergo significatio titulo non congruit. Apud Tertullianum, qui libenter loquitur lingua iurisconsultorum, vox haec sumenda potius est iuxta usum forensem, ubi praescriptio significat speciem exceptionis. In causis enim privatis actor obtinebat a praetore scriptam formulam, quae obiectum litis (intentionem), designationem iudicis et sententiam conditionatam continebat, ut iudici relinqueretur sola inquisitio de veritate facti. Iudex igitur alias rationes quantumvis iustas ab accusato allatas admittere non poterat, nisi in formula scripta exceptas et expressas. Quapropter rogante accusato vel eius defensore praetor exceptiones in formulam recipere solebat. Effectus talis exceptionis ab accusato probatae erat absolutio accusati. Exceptio haec quandoque ante ipsius causae discussionem expedienda erat et, si probabatur, id efficiebat, ut tota causa fieret supervacanea et actor repelleretur. In hoc casu exceptio

vocabatur praescriptio, ut PRAE, scil. in capite formulae, SCRIPTA. Plures erant eiusmodi praescriptiones, e. g. doli, rei iudicatae, fori, longi temporis, possessionis etc. Cum re a Tertulliano tractata maiorem similitudinem habet praescriptio longi temporis, sed hanc angustiorem vocis notionem non debemus supponere verbis Tertulliani, tum quia auctor generice dicit praescriptionem, tum quia etiam alias praescriptiones accessorias (cf. 44, 3 coll. 44, 1) adhibet, quae nihil commune habent cum praescriptione longi temporis. Significatio illa generica omnino etiam satisfacit menti et scopo auctoris. Tertullianus enim rationem afferre intendit, cuius probatio omni ulteriori disceptationi cum haereticis finem imponit. Tandem modus procedendi in causis civilibus nonnisi analoge rebus dogmaticis applicari potest, quod etiam auctor noster non ignoravit. Immo solam formam externam operis sui et dispositionem rerum a iurisconsultis mutuatus est. Unde et nos magis vim argumentorum ponderare, quam formam externam premere et similitudines exaggerare debemus. — Patet 21, 3 PRAESCRIBAM eodem sensu accipiendum esse ac praescriptio, quod patet coniunctione ET HIC. Sed non inducitur nova praescriptio, cum sit pars praescriptionis supra memoratae.

Porro notatu dignum est CONSPIRET, 21, 4. Non sola successio vel connexio historica, quibus ecclesiae recentiores coniunguntur cum apostolis vel ecclesiis apostolicis, constituunt hoc criterium, sed requiritur conspiratio, quam auctor accuratius descripsit 20, 8. 9. Hac enim conspiratione continetur « communicatio pacis et adpellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis. Quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti (= fidei vel symboli baptismalis) una traditio ». Ita cum criterio apostolicitatis quodammodo coniuncta est unitas fidei, de qua plura habentur 28, 1.

Statuto criterio applicatio facienda erat (« Superest ergo, uti » etc. 21, 6) et quidem tam ad catholicorum quam ad haereticorum doctrinam, ut definiatur, utra pars habeat veritatem. Sed Tertullianus exercitati causidici partes servat. Sciebat quidem praescriptione probata litem aboleri; sed etiam sciebat praescriptionem ab actore impugnari posse replicatione. Igitur actionem forensem imitatus « locum dat diversae parti, si quid putant ad infirmandam hanc praescriptionem movere se posse ». 22, 1. Unde etiam ea, quae sequuntur, formam digressionis habent, quamvis intime cohaereant cum proposito. Cum enim tota vis atque efficacia operis pendeat a veritate et firmitate criterii, positiva eiusdem pro-

batio, quae cc. 20 et 21 continetur, Tertulliano non sufficit. Ideo addit etiam confirmationem indirectam, refutationem scilicet obiectionum, quae ab adversariis proferebantur vel saltem proferri poterant. Hanc igitur defensionem criterii exhibet digressio.

Circa nexum capitis 22 cum praecedente nota: *Probatio* 22, 1) non debet referri ad criterium, sed ad eius applicationem, i. e. ad thesim modo dictam: « Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa », 21, 7. Haec thesis, cum sit de facto obvio omnibusque perspicuo, vix postulat probationem. Ideo iam praescriptio effectum suum habere deberet, ut causa tota finiatur et « nihil iam sit retractandum », 22, 1. Auctor tamen, ut abunde officio suo satisfaciat, hanc conclusionem in suspenso relinquit (« ac si prolata non sit a nobis ») et « interim » aures praebet parti adversae eiusque replicationem dissolvit.

Refutatio obiectionum, digressio cc. 22–30.

Criterium supra positum duplici modo impugnari poterat. Iam. 21, 1–3 auctor duas partes criterii indicaverat (observa: « et hic praescribam »), scil.

a) « alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit ».

b) « Quid autem praedicaverint,... non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt.

Primum respicit traditionem constitutivam apostolorum, alterum traditionem conservativam ecclesiae. Contra utrumque adversarii pugnare poterant.

Ad primum auctor statim affert duas obiectiones:

a) « non omnia apostolos scisse »,

b) « omnia quidem apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse » 22, 2.

Ipse modus, quo Tertullianus has obiectiones inducit, refutationem quamdam continet, quatenus contradictionem praedicat, qua altera alteram dissolvit, et quatenus utraque Christo est contumeliosa. Sed etiam in particulari ad obiecta respondet.

1) *Responsio ad assertionem,* quod apostoli non totam revelationem cognoverint, cc. 22–24.

Auctor hic utitur argumentatione directa probando contrarium, c. 22, 3-10, et indirecta solvendo obiectiones cc. 23. 24.

Nihil, ad fidem pertinens apostolis fuisse ignotum auctor *probat* ex intima familiaritate apostolorum cum Christo Domino, quam describit generaliter 22, 3, specialiter de S. Petro, 22, 4, de S. Iohanne 22, 5, de tribus testibus transfigurationis Christi, 22, 6, de discipulis, quibus Christus redivivus in via apparuit, 22, 7 [1]. Etiam verba Domini « Multa habeo adhuc loqui vobis, sed non potestis modo ea sustinere » non favent adversariis, sed contra eos plenam scientiam apostolorum in rebus fidei probant, quia statim subiungitur: « cum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem » (Ioh. 16, 12. 13), cum Actus apostolorum hanc promissionem impletam esse testentur. 22, 8–10. A mentione Actuum Tertullianus occasionem capit defendendi paucis verbis eorum authentiam. 22, 11. 12.

Deinde sequitur *solutio obiectionum*. Inducunt

a) casum Antiochenum (Gal. 2, 11 ss.) ut exemplum ignorantiae apostolorum. 23, 1. 2. Hanc difficultatem auctor solvit primo argumentando ad hominem, ad illos scilicet, qui Actus apostolorum repudiant (cf. 22, 11. 12). Hi enim nequiquam ex epistolis Paulinis argumenta ducere possunt; Nam, quia Paulum non cognoscunt, nisi solo proprio testimonio ipsius, tale testimonium iuxta illud Ioh. 5, 31 non habet vim probandi. 23, 3. 4. Secundo respondet hic non agi de dissensione in rebus fidei: « non aliam evangelii formam a Paulo superductam », 23, 5. Pro Pauli et apostolorum reliquorum atque fidelium ecclesiae primitivae concordia in rebus fidei auctor plura exempla ex Actibus et epistola ad Galatas colligit, 23, 6–9. Deinde ad materiam litis Antiochenae transiens affirmat: id quod forte reprehendi potuit in Petro, « conversationis vitium fuit, non praedicationis », 23, 10, i. e. non agebatur de quaestione dogmatica, sed de modo prudenter

(1) Hoc loco Tertullianus aut vocem *apostolorum* latiore sensu sumit, aut inconsiderate discipulos euntes in Emmaus (Luc. 24, 13-33) pro apostolis habuit.

agendi. Itaque dissensio illa nullatenus comparari potest cum discidio haereticorum, quo gravissima dogmata evertuntur de Deo, de Christo, de novissimis, 23, 11. His adiungit Tertullianus brevem vindicationem Petri, forsitan propter eos haereticos, qui S. Paulum nimium extollentes apostolos ceteros parvipendebant: « respondebo quasi pro Petro », 24, 2. Idem, quod supra obiicitur Petro, etiam in Paulum retorqueri posset, qui pariter, ut ipse ait, Iudaeis Iudaeus factus est, 24, 2. Sed agitur de re, quae « pro temporibus et personis et causis » variabatur, ut Petrus pro suo arbitrio etiam Paulum reprehendere potuisset de eadem re, v. g. de circumcisione Timothei, 24, 3. Etiam in martyrio Petrus Paulo nihil cedit, 24, 4. — Praeterea afferunt

b) raptum Pauli in tertium coelum et paradisum (2. Cor. 12, 2. 4). Hic autem raptus ad rem non pertinet, quia quae apostolus ibi audivit, nulli (etiam nulli haeretico) manifestare potuit, 24, 5. Utrum haeretici ad raptum Pauli revera provocaverint, e verbis Tertulliani non satis constat; sarcasmus autem sequentis propositionis (« aut Paulus secreti proditi reus est, aut et alius postea in paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit loqui », etc. 24, 6) prodere videtur quosdam saltem factum illud in medium protulisse. Fortasse Tertulliano iam notum erat opus illud nefarium, cuius mentionem facit Epiphanius, Haer. 38, 2, quod Ἀναβατικὸν Παύλου appellatur, hodie vero deperditum est (1).

2) *Responsio ad assertionem,* quod apostoli non omnem veritatem omnibus tradiderint, cc. 25. 26.

Adversarii asserunt apostolos, etsi totam revelationem cognovissent, tamen eam non totam omnibus tradidisse, 25, 1, sed habuisse aliam doctrinam (esotericam), quam paucis et in secreto, et aliam (exotericam), quam omnibus et in publico praedicaverint. 25, 2.

Tertullianus ad locos biblicos (1 Tim. 6, 20. cf. 2 Tim. 1, 14; 1 Tim. 6, 13; 2 Tim. 2, 2), quos haeretici afferebant vel afferre poterant, illico respondet demonstrando ex eorum

(1) De quo cf. O. Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur,* I², Freiburg i. Br. 1913, p. 619.

contextu unam omnibusque communem atque publicam fuisse apostolorum doctrinam 25, 3–9 (1).

Tempore Tertulliani vigebat disciplina arcani, quae speciem quamdam secretioris doctrinae praebebat, quod etiam haereticis non erat ignotum. Qua de causa etiam Tertullianus eam silentio praeterire sine damno rei non poterat. Sed etsi res disciplinae arcani aderat, nomen tamen nondum erat in usu. Merito igitur coniicimus hoc loco disciplinam arcani non prorsus esse neglectam. Ita auctor pergens in expositione textus 2 Tim. 2, 2 speciali modo hanc disciplinam respexisse videtur, quod confirmatur allegatione vocis Domini Matth. 7, 6, cum haec verba Christi fundamentum et radicem constituant disciplinae arcani. Auctor propterea addit observationem, quod praedicatio publica non excludit cautionem et ordinem in munere docendi 26, 1.

Deinde Tertullianus procedit hoc modo: Christus docuit (auctor alludit ad Matth. 10, 27; Luc. 19, 20–24; Matth. 5, 15) doctrinam suam non esse abscondendam. 26, 2–4. Hoc Domini praeceptum ab apostolis etiam observatum est. 26, 5–12. Nam non metu impediebantur a praedicatione omnium veritatum 26, 6; potius ad completam traditionem totius doctrinae adacti erant necessitate convertendi Iudaeos et ethnicos, 26, 7; certe « iam credentibus ecclesiis nihil subtraxissent »; 26, 8. Si quae apostoli in secreto dixissent, tamen ea non discrepabant a communi eorum doctrina 26, 9, sicut discrepant errores haereticorum, ubi iterum, ut supra 23, 11, tanguntur iidem principales errores. 26, 10. Ipsi porro apostoli saepe fidelibus inculcant, ut servent fidei unitatem, 26, 11, idque iuxta mandatum Domini (Matth. 5, 37) faciunt animo sincero, 26, 12. Conclusio refutationis hactenus factae habetur 27, 1: « ergo incredibile est vel ignorasse apostolos plenitudinem praedicationis vel non omnem ordinem regulae omnibus edidisse ». Huic conclusioni adiungit tertiam obiectionem contra criterium supra positum.

(1) Legendum est sine distinctione *ut de absentibus apud conscientiam*. Tertullianus hic utitur abstracto *conscientiam* pro concreto *conscios*. Sensus itaque est: quae apud conscios non erant, i. e. in quibus conscios non habebat.

Dubium est, utrum haeretici hanc difficultatem attulerint. Nam Tertullianus eam proponit non in forma obiectionis, sed quaesiti: « videamus ne forte » (1) etc. 27, 1 et pergit: « Omnia ista scrupulositatis incitamenta invenias (coniunctivus!) praetendi ab haereticis », 27, 2. Proinde etiam incertum, utrum argumenta adversa 27, 3. 4 ab haereticis sint desumpta, an a Tertulliano inventa.

3) *Responsio ad quaesitum*, num « ecclesiae... suo vitio aliter acceperint, quam apostoli proferebant » 27–30.

Agitur itaque hic de traditione conservativa ecclesiae (cf. sup. p. 33). Ut argumenta, quibus adversarii « vitium » ecclesiarum demonstrare conabantur vel saltem demonstrare poterant, Tertullianus profert Gal. 3, 1; 5, 7; 1, 6, ubi Galatae corripiuntur, 27, 3, et 1 Cor. 3, 1–3; 8, 2, ubi Corinthii reprehenduntur ab apostolo, 27, 4. His respondet auctor duplici modo:

a) « correptas ecclesias... credant emendatas » 27, 5;

b) recognoscant etiam ecclesias ab apostolo laudatas de fide et scientia et conversatione (2). Igitur de utrisque constat fidem earum non esse vitiatam, de his ex immediato testimonio honorifico S. Pauli, de illis tam ex emendatione, quam ex earum conspiratione cum ecclesiis laudatis 27, 6.

Haec responsio Tertulliano nondum sufficit. Addit etiam confutationem ex absurdis, cc. 28–30.

Caput 28 arcto nexu cum praecedente coniungendum esse ex ipso modo loquendi patet, quia *omnes* (28, 1) intelligi debet de ecclesiis, 27, 5. 6 commemoratis, et *apostolus de testimonio reddendo* non ad apostolorum praedicationem referendum est, sed ad testimonium fidei et scientiae et conversationis, de quo dictum est 27, 6. Continuatur itaque responsio circa traditionem conservativam ecclesiae. Prout ratio argumentationis ex absurdis postulat, a concessione incipiendum erat. Hanc paulo mordacius proponit, ut vix audita reprobaretur.

---

(1) *ne* = *num* Cf. H. Hoppe, *Syntax und Stil des Tertullian*, Leipzig 1903, p. 72.

(2) Cf. initia epistolarum Paulinarum et praeterea Rom. 15, 14.

Haec concessio speciali attentione digna est propter mentionem Spiritus sancti. De assistentia Spiritus sancti hactenus pluries dictum est, e. g. 8, 11: apostoli « consecuturi mox Spiritum sanctum paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem »: 20, 4 « consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes et eloquium ». Haec verba autem proprie testantur assistentiam Spiritus sancti in traditione constitutiva apostolorum. Et, si verba premantur, alia assistentia excludi videtur 8, 15: nobis « ultro obventura doctrina per apostolos et ipsis apostolis per Spiritum sanctum ». Alibi (13, 5) auctor commemorat « vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat ». Quae verba potius de singulis fidelibus et de gratia illuminationis dicta videntur. In hac autem concessione disertis verbis ponitur assistentia Spiritus Sancti in traditione conservativa ecclesiae, cum auctor hic non de defectu apostolorum, de quo cc. 22-26, sed de « vitio » ecclesiarum agat et insuper verba omnino clare id exprimant. Neque minuitur huius testimonii vis eo, quod in forma concessionis datur, quia modo sarcastico loquendi mens auctoris declaratur, et quia saepe Tertullianus validiora argumenta hoc modo profert; cf. 14, 6, supra p. 25. Ceterum Tertullianus non intendit plenam theoriam traditionis ecclesiasticae componere, sed criterium quaerit, qua vera fides ab haeresi discerni valeat. Quare etiam assistentia Spiritus sancti, cum per se sit invisibilis, non directe ad rem pertinebat.

Supposita hac concessione sequerentur plures ineptiae. Nam

a) consensus multorum in eodem errore est improbabilis. Concordiam omnium ecclesiarum catholicarum in eadem fide Tertullianus non probat, sed ut rem etiam haereticis certam supponit. 28, 1. Talis autem concordia in errore est inverisimilis, quia error est multiplex [1] ideoque diversitatem opinionum producere debuit 28, 2; et quia huius concordiae causa sufficiens non est nisi traditio integra 28, 3. Ergo suppositio traditionis ab ecclesiis vitiatae absurda est.

b) errorem esse priorem veritate pariter ineptum est. Supposito errore ecclesiarum sequitur ante adventum haereticorum regnasse errorem. 29, 1. Itaque ante Marcionem et Valentinum 29, 2 non fuit vera religio, quod per partes exponi-

[1] *Nullus inter multos eventus* (possibiles) *unus est exitus;* i. e. quae multis modis fieri possunt, non constanter eodem modo fiunt.

tur, ut clarius appareat huius rei stultitia, et cum anaphora (septies *tot*, octies *perperam*), ut etiam copia rerum legentem opprimat. Enumerantur praedicationes, conversiones, baptismata, opera fidei, virtutes, charismata, sacerdotia, ministeria, martyria, quae omnia perperam et frustra essent acta, 29, 3. Et si forte respondeatur non fuisse perperam, sequitur aliud absurdum, scil. res Dei (exercitium religionis) praecessisse cognitionem Dei et christianos fuisse prius quam Christus sit cognitus, 29, 4. Sed semper veritas praecedit errorem, sicut res imaginem, 29, 5. Haeresim esse posteriorem veritate etiam doctrina prior (scil. catholica, quae falsa supponitur) docet, quia haec haereses futuras praenuntiabat et cavendas docebat, 29, 6, cuius rei exemplum est Gal. 1, 8, quo prohibetur credere etiam angelo aliter evangelizanti 29, 7.

Haec verba Pauli dicta sunt eo tempore, quo nondum exsistebant haereses illae, quas Tertullianus praecipue in scribendo respexit. Quae eaedem sint, e capite 30 discimus. Auctor enim a monitione S. Pauli occasionem capit disserendi de novitate certarum haereseon tunc maxime perniciosarum. Hac re certe anticipat ea, quae alibi, scilicet cc. 33 et 34 e professo tractanda erant. Differt autem caput 30 a 33 et 34 eo, quod priore loco imprimis personae earumque vitae conditiones, altero vero earumdem doctrinae censeantur. Quamquam et 30, 8–17, quae « de operibus » haereticorum dicuntur, quodammodo ad doctrinam pertinent.

Caput 30 apte dividi potest in duas partes. Novitas enim haereticorum probatur

a) ex indiciis temporis, quo haeretici illi vixerunt, 30, 1–7. Hic pauca discimus de Marcione et Valentino et de Apelle, quos auctor etiam « insigniores et frequentiores adulteros veritatis » (30, 12) appellat. Principalis de eorum aetate quaestio est; intermiscentur autem et aliqua ad mores eorum spectantia, unde errores quoque eorum notentur.

1. Marcion unus est e principalibus adversariis Tertulliani, quod etiam patet e frequenti eiusdem mentione (7, 3; 10, 7; 29, 2; 30, 1-3, 5. 6. 9; 33, 4. 6. 11; 34, 3; 37, 3; 38, 8. 9; 42, 8). Quae autem de eius tempore dicuntur, exiguum habent valorem. Si auctor

dicit Marcionem et Valentinum fuisse « Antonini fere principatu » 30, 2, hoc nomen imperatoris intelligi potest de Antonino Pio (10 iul. 138-7 mart. 161), de Marco Aurelio (7 mart. 161-17 mart. 180) et de Commodo (17 mart. 180-31 dec. 192); Caracalla et Heliogabalus ut posteriores libro Tertulliani non considerantur. Haec nominis ambiguitas scienter ab auctore inducta videtur, quia notitiam certam non habebat. Etiam addendo FERE Tertullianus dubitationem manifestat. Etiamsi Antoninum Pium, cui istud nomen magis proprium est, dictum esse admittimus, tamen mirum est, quod tempus 21 annorum per FERE extenuetur. Maiorem difficultatem praebent verba « in catholicam primo doctrinam credidisse apud ecclesiam Romanensem sub episcopatu Eleutheri benedicti ». Episcopatum gessit Eleutherius annis circiter 174-189. Hoc tempus falsum esse e solis Tertulliani verbis verisimile est. Legimus enim 30, 7: « Adhuc in saeculo supersunt qui meminerint eorum, etiam proprii discentes et successores ipsorum ». Distinguere itaque debemus plures gradus: *a)* tempus fidei catholicae tam Marcionis quam Valentini (30, 2); *b)* tempus litigationis, quo « semel iterum eiecti,... novissime in perpetuum discidium relegati », simul « venena doctrinarum suarum disseminaverunt » (30, 2) (1); *c)* tempus poenitentiae Marcionis et mortis eius 30, 3; *d)* tempus discipulorum immediatorum (« discentes », 30, 7) et *e)* successorum ipsorum (30, 7). Initium horum graduum itaque iuxta Tertullianum sumendum esset post annum. 174. Tertullianus autem scripsit anno circiter 200. De factis vero sui ipsius temporis certe Tertullianus non scripsisset: « supersunt, qui meminerint eorum », 30, 7. Porro haec eadem indicatio contradicit aliorum testimoniis. Iustinus martyr annis 150-155 scripsit apologiam priorem, itaque longe ante episcopatum Eleutherii. Iustino teste (apol. I 26, 5; 58, 1) Marcion iam tum non solum defecerat a fide, sed etiam multos seduxerat. S. Irenaeus adv. haer. III, 3, 4 refert Polycarpum aliquando occurrisse Marcioni iam haeretico. Polycarpus autem martyrio coronatus est 22 febr. 156. Cum Tertullianus Marcionem et Valentinum contemporaneos faciat, a Valentino etiam Marcionis tempora discere possumus. De Valentino dicit Irenaeus (l. cit. III 4, 3): Valentinus enim venit Romam sub Hygino; increvit vero sub Pio et prorogavit tempus usque ad Anicetum » (2). Itaque prior Tertulliani indicatio « Antonini fere princi-

(1) Hoc loco inseri debent etiam ea, quae 30, 5. 6 de Apelle narrantur et longius spatium temporis requirunt.

(2) Hyginus ecclesiam Romanam gubernavit annis circiter 136-140; eius successor Pius annis circiter 140-154; Anicetus annis 154-165.

patu », etsi haesitanter prolata, verior est, quam altera, quam asseveranter ponit.

Immerito 30, 3 de poenitentia Marcionis a Preuschen et Rauschen ut spuria uncis includuntur. Omnes testes hunc locum habent; modus etiam loquendi stilo Tertulliani ita congruit, ut ab alio vix tam convenienter dici potuerint. Ratio, quae criticos illos movit ad hanc athetesim, in eo est, quod hic locus contradicebat opinionibus, quas ipsi sibi efformaverant de praxi poenitentiali antiquae ecclesiae. Sed non licet propter opiniones incertas, ne dicam certo falsas, textui bene tradito vim inferre (1).

Ceterum Marcionis haeresis etiam ad illas pertinet, quas Tertullianus intendit 44 (45) 14, ubi dicit: « De reliquo... etiam specialiter quibusdam respondebimus », prout constat e libris 5 adversus Marcionem.

2. Valentinus, ut Marcionis aequalis tempore, hoc loco paucis verbis absolvitur. Sed etiam huius viri haeresim auctor suo libro speciali modo impugnare intendit, quod e frequenti commemoratione Valentini eiusque doctrinae patet: 7, 3; 10, 7. 8; 29, 2; 30, 1. 11; 33, 4. 7. 8; 34, 4; 37, 3; 38, 8. 10; 42, 8; toties, quoties Marcion nominatur et fere iisdem locis. Postea Tertullianus etiam speciale opusculum adversus Valentinianos composuit.

3. Apelles praeter 30, 5. 6 nominatur 6, 6; 10, 8; 33, 4. 6; 34, 4; 37, 3. Contra hanc quoque haeresim Tertullianus scripsit « libellum », ut ipse testatur in opere De carne Christi c. 8. Hoc autem opusculum deperditum est. Quod tempus Apellis attinet, nulla alia aetatis testimonia afferuntur, nisi quae eum monstrant discipulum Marcionis ideoque magistro recentiorem. Quae hic, 30, 5-7 de eo narrantur, confirmant sententiam supra expositam de longiore temporis intervallo inter Apellem et Tertullianum et de errore in verbis « sub episcopatu Eleutheri » contento.

4. Nigidius hoc solo loco (30, 13) nominatur. Etiam aliunde nihil de eo accipimus.

5. Hermogenes, quem semel hic (30, 13) Tertullianus comme-

(1) Marcion et Valentinus dicuntur *semel et iterum ejecti* (30, 2). Haec verba non necessario includunt aliquam reconciliationem, quia etiam intelligi possunt de simplici repetitione vel aggravatione eiusdem prioris sententiae. Manifesto autem Tertullianus distinguit gradus excommunicationis, si subiungit: « *norissime in perpetuum discidium relegati* ». Nihilominus propositio immediate sequens probat etiam *perpetuo discidio* non omnino excludi *receptionem pacis*.

morat, postea speciali libro confutatus est, qui etiam « adversus Hermogenem » inscribitur.

Quae auctor de Marcione et Valentino, in specie de misera morte Marcionis, narraverat, facile dubia movere poterant, unde etiam hoc loco Tertullianus verba Pauli 1 Cor. 11, 19 (cf. supra 4, 6) repetit. Quae verba ne ad falsum sensum trahantur, iterum (ut supra 4, 7–5, 5) addit explicationem, qua supra dicta novo exemplo (Iudae traditoris) illustrantur. 30, 4.

b) ex « operibus » haereticorum, 30, 8–17. Haec enim opera probant primo haereticos esse *recentioris aetatis*, 30, 8–11. Nam Marcion non potuisset separare Novum Testamentum a Vetere, nisi fuisset utroque posterior, 30, 9. 10. Valentinus, pariter sententias suas repetens ab iisdem libris sacris, male tamen expositis, eo ipso recentior ostenditur. 30, 11. Praeterea haereticorum opera docent eos *carere auctoritate docendi:* « Ostendant mihi, ex qua auctoritate prodierint ». 30, 13. Tertullianus adhibet dilemma: Haeretici aut alterius dei (quam dei christianorum) auctoritate agunt, tunc eis non licet christianorum « Dei rebus et litteris et nominibus » uti; aut agunt auctoritate Dei christianorum, tunc nefas est ab eius institutione recedere, 30, 14, tunc etiam debent suam auctoritatem docendi probare eadem ratione, qua et apostoli suae missionis fidem fecerunt. Apostoli apparebant testes immediati rerum, quibus ipsi praesentes fuerunt, 30, 15, et testimonium suum confirmarunt signis et virtutibus, 30, 16. Haec duplex probatio apostolorum non tantum deest in haereticis, sed etiam in contrarium vertitur, quare Tertullianus huic capiti et toti digressioni finem imponit acerbe simul et facete dicens: « Illi (apóstoli) enim de mortuis vivos faciebant, isti (haeretici) de vivis mortuos faciunt », 30, 17.

Terminata replicatione adversariorum eiusque confutatione (digressio) redeundum erat ad applicationem praescriptionis sive criterii iam 21, 6. 7 inceptam, sed 22, 1 abruptam. Merito auctor paucis verbis supra, 21, 4. 5 exposita recapitulat. Quodsi in hac recapitulatione pro concordantia cum ecclesiis apostolicis principalitas veritatis ut criterium po-

nitur, utrumque tamen iuxta mentem Tertulliani unum idemque est; cf. supra p. 9.

Aliquam quidem distinctionem inter principalitatem et apostolicitatem Tertullianus agnoscit. Principalitatem accipit de tempore, apostolicitatem de doctrina. Hae duae qualitates se mutuo complent ad unum criterium constituendum, ita ut e defectu principalitatis eo ipso sequatur defectus apostolicitatis, non autem econtra e defectu apostolicitatis (= concordantiae cum doctrina apostolicae) sequatur posteritas. Hoc eruitur e 35, 3. 4, ubi auctor distinguit: « Posterior nostra res non est », « Apostolis utique non damnatur ».

Sed haec vocabulorum mutatio auctori permittit, ut non nude criterium suum repetat, sed etiam novam rationem breviter inserat, scilicet « ex illius quoque parabolae patrocinio, quae bonum semen frumenti a Domino seminatum in primore constituit, avenarum autem sterilis foeni adulterium [1] ab inimico diabolo postea superducit », 31, 1. Hanc parabolam (Matth. 13, 24–30) de verbo Dei intelligendam esse alibi (Luc. 8, 11) docetur. 31, 2. Tum auctor criterium repetit hac forma:

a) positive: « **id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum** » 31, 3 cf. 21, 4;

b) negative: « **id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum** », 31, 3. cf. 21, 5.

Iam auctori aditus patet ad alteram partem, i. e. ad applicationem, quam statim aggreditur incipiendo ab haereticis. Igitur thesim annuntiat: « Ea sententia manebit adversus posteriores quasque haereses ». 31, 4 [2].

---

[1] *Avenarum sterilis foeni adulterium;* nota substantivum *adulterium* pro adiectivo *adulteratae; sterilis foeni* genitivus appositionalis. Sensus ergo est: avenas falsas (= zizania), sterile illud foenum, postea superducit.

[2] *Quibus nulla constantia de conscientia competit* etc. 31, 4. Sensus huius loci e contextu satis clarus est, sed verba facessunt negotium. Propter nexum rerum sensus requiritur: quibus nulla apostolicitas principalitasve competit. Hoc etiam exprimitur voce *constantia,* quae vel fundamentum firmum stabilitatis (in apostolicitate vel principalitate positum), vel continuam exsistentiam (a tempore apostolorum) significat; *de conscientia* accipiendum videtur ut ablativus limitationis et, ut su-

II. Applicatio criterii cc. 32–36.

1. Ad haereticos cc. 32–34.

Apostolicitatem et principalitatem a Tertulliano promiscue adhiberi initio capitis 32 clare apparet. Statuto enim criterio principalitatis statim pergit: « si quae (haereses) audent interserere (1) se aetati apostolicae ».

Haeresibus non competere apostolicitatem duplici via demonstratur (cf. 32, 7 « ad utramque formam »):

1) *quia earum ecclesiae neque apostolorum tempore fundatae sunt neque episcoporum continua serie cum apostolis cohaerent,* 32, 1–4.

Auctor primo invitat adversarios, ut hunc nexum historicum cum apostolis probent: « Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris... habuerit auctorem et antecessorem ». Si de apostolicis viris additur conditio « qui tamen cum apostolis perseveraverit », hoc dictum videtur vel de haereticis infra c. 33 nominatis (cf. supra 3, 12), vel forsitan de obscuris illis apostolorum discipulis, per quos apostolorum doctrinam secretiorem (cf. 25, 2) sibi traditam esse quidam haeretici ementiebantur 32, 1. Deinde auctor ostendit, quomodo ecclesiae apostolicae 32, 2, et ceterae catholicae ecclesiae 32, 3 originem apostolicam probent, non quidem eo fine, ut statim catholicae ecclesiae apostolicitatem demonstret, — huic enim demonstrationi reservatur caput 36 — sed ut exemplum argumenti statuat ad imitandum

---

pra 25, 9, tamquam abstractum pro concreto = de consciis, i. e. talis constantia, cuius etiam alii scientiam habeant, i. e. quae coram aliis probari possit. Minus placet explicatio de conscientia ipsorum haereticorum, ut sensus sit: qui ipsi sibi conscii sunt sibi non competere constantiam etc. Equidem coniicio textum levi indigere emendatione per transpositionem vocabulorum, ut legendum sit: *quibus nulla conscientia de constantia competit.*

(1) *interserere;* attende allusionem ad parabolam 31, 1 commemoratam.

et simul facta quaedam proferat, qualia apud haereticos omnino non inveniebantur (1). Deinde Tertullianus, sciens hoc modo apostolicitatem haereseon nullatenus probari posse, argumentationem claudit sarcasmo: « Confingant tale aliquid haeretici ». Sensus huius propositionis est: Cum veri nihil ad rem afferre possint, iam figmenti et fraudibus opus est, ut haeretici probare valeant nexum suae sectae cum apostolis. Mordaciter subiungit: « Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? ». Ironice auctor etiam rationem affert, cur haeretici ad fraudes et mendacia confugiant, quia scilicet, cum a maiore crimine, i. e. a blasphemia, non abhorruerint, multo minus recusabunt delicta leviora, qualia sunt mendacia. 32, 4. Sed ne quidem fraudibus quidquam proficere valent, cum et alia ratione revincantur, scil.

2) *Quia etiam doctrina haereticorum adversatur praedicationi apostolorum*, 32, 5. 6.

Series episcoporum etiam confingi potuit. Sed haec sola nondum constituit criterium, sed insuper requiritur conspiratio, quae extrinsecus apparet in communione ecclesiastica et quae in fidei unitate fundatur; cf. supra p. 32. Haec autem conspiratio omnino deest haereticis: « Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit neque apostoli alicuius auctoris esse neque apostolici » (= apostolorum discipuli). (2) 32, 5.

---

(1) Ceterum Tertullianus iam hoc loco rationem habet capitis 36, quia nihil eorum commemorat, quae c. 36 continet. Ad *traduces fidei*, 32, 3 cf. 20, 5, et 36, 2 « unde nobis quoque auctoritas praesto est ». — Quod Tertullianus 32, 2 dicit de Clemente a S. Petro ordinato, contradicit testimonio Irenaei, adv. haer. III, 3, 3, ubi Linus immediate S. Petro in sede Romana successisse refertur. Verisimile est Tertullianum libris Ps.-Clementinis in errorem esse inductum.

(2) Verba sequentia legenda videntur: *quia sicut apostoli non diversa inter se docuissent, ita et apostolici non contraria apostolis edidissent, nisi illi, qui ab apostolis desciverunt* (vel *discesserunt*), *aliter praedicaverunt*. Apostoli absolute auctoritatem habent, apostolici vero conditionate, quod Tertullianus supra (32, 1) expressit his verbis: « qui tamen cum apostolis perseveraverit ». Exceptio proinde hic (32, 5 « nisi ») facta idem aliis verbis dicit, cui melius congruit lectio codicis Seletstadiensis *desciverunt*, vel coniectura *discesserunt*.

Discrepantia doctrinae haereticorum illius temporis a doctrina catholica erat obvia, perspicua, omnibus nota, quare auctor de ea hic non loquitur, sed examen doctrinarum ad sequens caput remittit. Addit tamen observationem de vi huius « formae » argumentandi: « Etiam singularum ecclesiarum [1], quantumvis recentium fides sufficit ad redargutionem haereticorum. Forsitan insuper occurrere voluit obiectioni haereticorum novitatem quarumdam ecclesiarum proponentium. 32, 6.

Duplici hoc modo, « ad utramque formam », haereses se deberent probare apostolicas, 32, 7. Sed hoc non tantum non possunt, verum etiam argumento quodam manifesto ostenduntur non apostolicae: « nec recipiuntur in pacem et communicationem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis ». 32, 8.

Quae 32, 5. 6 de haereticorum doctrina dicta sunt, iam sufficere potuerunt ad applicationem criterii. Tamen auctor adiicit (« super hoc » 33, 1) etiam specialem disquisitionem de doctrinis haereticis: « ipsarum doctrinarum recognitionem », et quidem primo earum,

« quae tunc sub apostolis fuerunt » et iam ab apostolis damnatae sunt, 33, 1 [2]. De his haeresibus aevi apostolici Tertullianus non agit propter se, sed propter haereses posteriores, quatenus hae in illis ob doctrinae vel consensum vel nexum ab apostolis iam sunt praedamnatae, 33, 2. Recensentur igitur 33, 3–12 errores ab apostolis reprobati

de resurrectione carnis. Hanc aevo apostolico negabant Sadducaei. Contra eos qui resurrectionem carnis negant, vel in dubium vocant, Paulus (1 Cor. 15, 12 ss.) pugnat. 33, 3.

---

[1] subintellige: in fide apostolorum permanentium; iuxta ea, quae auctor dixit 32, 1. 5 de apostolicis. Si hanc conditionem non expressis verbis apponit, hoc forte ideo omisit, quia nondum cognovit exempla ecclesiarum, quae integrae cum episcopo et omnibus fidelibus a vera doctrina Christi defecerant.

[2] *deieratae* = adiuratione divini nominis repulsae, maledictae. *Deierare* communiter significat sancte iurare. Hoc loco Tertullianus eo vocabulo utitur cum immutatione sensus propter alliterationem *et Demonstratae et Deieratae*. Cf. Hoppe, *Syntax und Stil des Tertullian*, Leipzig 1903, p. 117.

Eumdem errorem renovant Marcion, Apelles, Valentinus et alii 33, 4. Cf. 7, 4; 13, 5; 23, 11; 26, 10; 36, 5; 44, 10.

de observatione legis mosaicae; necessitatem huius observationis defendebat Ebion [1]; contra hunc errorem invectus est Paulus (ep. ad Gal. 5, 2 ss), 33, 5. De Ebione cf. 10, 8; 33, 11.

de matrimonio; quidam iam tunc matrimonium inire vetabant; hos Paulus (1 Tim. 4, 5) increpat. Eumdem errorem defendunt Marcion et Apelles, 33, 6. Cf. 30, 5.

de resurrectione iam facta; asserentes resurrectionem esse iam factam etiam a Paulo (2 Tim. 2, 18) respuuntur. Idem docent Valentiniani, 33, 7.

de genealogiis indeterminatis; eas iam Paulus (1 Tim. 1, 4) reprobat, Valentinus hanc doctrinam defendit, 33, 8. Cfr. 7, 7.

de materia aeterna; hanc doctrinam Paulus, ubi elementis servientes reprehendit (Gal. 4, 3), quodammodo damnavit. Hermogenes eam renovavit, 33, 9. Cfr. 7, 4.

de idolothytis et fornicatione; Tertullianus eos, qui esum idolothytorum et fornicationem licere asserebant, Nicolaitas appellat ex Apoc. 2, 6. 15, qui reprobantur Apoc. 2, 20. Eorum errores inveniuntur apud sectam Gaianam, 33, 10.

de incarnatione Christi; qui eam negant, a Iohanne (1 Ioh. 4, 2. 3) antichristi vocantur. Hoc autem facit Marcion.

de filiatione divina Christi; eam negantes pariter a Iohanne (1 Ioh. 2, 22–23) antichristi dicuntur; eam negavit Ebion. 33, 11.

de disciplina magiae, haec tamquam diabolorum servitus et ad idololatriam pertinens a S. Petro (Act. 8, 18 ss) damnata est in Simone mago 33, 12.

Recensitis haeresibus, « quae sub apostolis fuisse ab ipsis apostolis discimus », 34, 1, auctor transit ad haereses sui temporis, non quidem ut singulos earum errores exponat, sed ut e comparatione harum cum prioribus haeresibus consectaria deducat. Maior est recentiorum haereticorum auda-

[1] Tertullianus nomen Ebionitarum falso ducit a nomine Ebionis tamquam huius sectae fundatoris.

cia. Quod in pristinis haeresibus erat inauditum, ut impugnarent Dei Patris dignitatem, hoc ausi sunt novi haeretici. Nam Marcion praeter creatorem alium deum solius bonitatis induxit, 34, 2; de hac doctrina cf. 7, 3; 13, 2; 23, 11; 26, 10; 29, 4; 30, 14. Apelles creationem angelo adscribit et deum igneum (cf. 7, 4) docet. Valentinus creatorem ab aeonibus et quidem unius aeonis vitio originem habere (cf. 7, 5) asserit 34, 4. Propter hanc temeritatem a Tertulliano ironice carpuntur, quod ipsis solis et primis talis revelatio facta sit — e speciali gratia diaboli, — qui eos fecerit (contra verbum Domini Matth. 10, 24) discipulos supra magistrum, i. e. Christo superiores 34, 5.

Tum sequitur argumentum proprium huius capitis, quod tamen paulo involutius proponitur.

Fundamentum argumentationis est tempus originis cuiuslibet haereseos ab ipsis adversariis declarandum. Si dicunt haeresim suam apostolorum tempore nondum fuisse, iam erroris convicti sunt sua posterioritate 34, 6. Si dicunt suam haeresim iam sub apostolis exstitisse, aut apostoli de iis siluerunt et hoc silentium probat eorum assertionem esse falsam, aut apostoli eos nominarunt et tunc reprobantur apostolorum expressa damnatione 34, 7.

Verba QUAE QUANDO FUERIT nihil novi addunt propositioni praecedenti, sed tantum amplificant libertatem eligendi, ut quaecumque haeresis pro libitu possit sibi attribuere quamcumque aetatem; DUM NON INTERSIT QUAE QUANDO (supple: FUERIT), i. e. haeretici sive verum sive falsum, sive antiquum sive recens tempus indicant, tamen in omni casu convincuntur, DUM DE VERITATE (= verae) NON SINT, i. e. quia defectus veritatis nullo modo resarciri potest; ET UTIQUE QUAE SUB APOSTOLIS NON FUERUNT, (supple: DE VERITATE ESSE) NON POSSINT, quia eis deest apostolicitas. In his verbis latet alterum membrum dilemmatis: Aut dicunt se sub apostolis non fuisse, et tunc eo ipso demonstrantur non apostolicae et non verae, 34, 6. Sequens propositio supponit alterum dilemmatis membrum: Aut dicunt se sub apostolis fuisse. Auctor respondet: « Si autem fuissent » etc. 34, 7.

Tandem conclusionem repetit, ita quidem ut varios casus distinguat non solum pro temporis differentia, sed etiam pro relatione doctrinae haereticae ad apostolos, scil.

a) eaedem haereses iam sub apostolis fuerunt, quae adhuc exsistunt, licet forsitan interim magis expolitae: hae iam ab apostolis damnatae sunt.

b) haereses, quae sub apostolis fuerunt, sed interim exstinctae sunt. De his nihil amplius dicendum remanet.

c) haereses, quae sub apostolis non fuerunt, sed postea exortae, tamen aliquos errores pristinarum haereseon renovarunt. Hae dupliciter revincuntur tam damnatione errorum iam ab apostolis facta quam defectu apostolicitatis.

d) haereses, quae sub apostolis non fuerunt, sed novos errores, ab apostolis nondum damnatos, protulerunt. Contra hos magis valet defectus apostolicitatis sive principalitatis, quia non tantum secta, sed etiam eius errores sub apostolis nondum fuerunt, 34, 8. Ergo ad hos maxime spectant verba (Christi et apostolorum cfr. c. 4) de haeresibus futuris, 34, 9. Hoc totum breviter et aliis verbis recapitulatur 35, 1.

2. Ad catholicos cc. 35. 36.

Initio capitis 35 argumentatio praecedens paucis repetitur, ut haeretici invitentur ad retorquendum idem argumentum in catholicos. Hoc modo transitus fit ad applicationem criterii ad ecclesiam catholicam, 35, 1. Si enim fides catholica esset falsa, eodem modo, sicut de haeresibus factum est, et ipsa posset et deberet refutari 35, 2. Pro responsione auctor procedit

a) negative, quod argumentum superius non possit retorqueri, aliis verbis, quod non possit probari fidem catholicam non esse apostolicam. Nam

1. «Posterior nostra res non est». Ergo ipsa habet testimonium principalitatis 35, 3.

2. «Apostolis utique non damnatur». Ergo habet testimonium apostolicitatis 35, 4, 5. Quodsi hoc loco testimonium apostolicitatis dicitur «iudicium proprietatis», respiciuntur loci 15, 4 «cui competat possessio»; 19, 4 «quibus competat fides ipsa», et anticipatur materia capitis 37. Deinde

b) positive probatur apostolicitas ecclesiae catholicae

1. per certas res vel memorias ab apostolis relictas: Apud catholicos conservantur cathedrae et originales litterae apostolorum, 36, 1.

CATHEDRAS et AUTHENTICAS LITTERAS apostolorum de sedibus materialibus et de epistolis autographis intelligendas esse non tantum additum vocabulum IPSAE suadet, sed etiam argumento ipso postulatur. Si enim acciperentur vel metaphorice (cathedrae = doctrinae) vel sensu latiore (authenticae = non falsatae), argumentatio nulla esset, quia idem per idem probaret et petitionem principii contineret.

2. per comparationem doctrinae cum doctrina ecclesiarum apostolicarum, e. g. Corinthi, Philipporum, Ephesi, Romae, 36, 2; inter quas speciali modo eminet ecclesia Romana, in qua tria notantur: vinculum speciale cum ecclesiis Africae (« unde nobis quoque auctoritas praesto est » 36, 2); martyrium trium apostolorum Petri, Pauli et Iohannis; plenitudo doctrinae (« cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt » 36, 3) (1).

Pro CUM AFRICANIS QUOQUE ECCLESIIS CONTESTETUR, quod melius quidem congruit traditae textus formae, sed bonum sensum non praebet, legendum videtur: QUID CUM AFRICANIS QUOQUE ECCLESIIS CONTESSERARIT. Propter anaphoram et gradationem (didicerit, docuerit, contesserarit) verisimile est etiam in forma verborum (perfect. activ.) parallelismum ab auctore esse servatum. CONTESSERARIT (cf. 20, 9 contesseratio) optimum habet sensum, praesertim quia, ut e sequentibus patet de regula fidei vel symbolo est intelligenda. — Similiter propter parallelismum (ablativorum AQUA, SPIRITU SANCTO, EUCHARISTIA) et propter sensum praeferenda videtur lectio MARTYRIO EXHORTATUR. Non enim omnes martyrium subire debebant, omnibus autem martyrium erat utilis monitio ad fidei constantiam.

(1) Facile Tertullianus etiam magnitudinem urbis ut capitis imperii addere potuisset. Sed hoc prorsus omisit et excellentiam ecclesiae Romanae solis rationibus christianis describit. Certe hanc ecclesiam in praecipuo honore habet et specialiter ob eius fidei auctoritatem. Tamen eius primatum non diserte testatur. Quod mirum non est, quia illo tempore ecclesiae apostolicae in fide concordabant et proinde aequo modo ad confutationem haereticorum sufficiebant. Disserere autem de relatione ecclesiarum apostolicarum inter se vel de unitate ecclesiae praeter intentionem auctoris fuisset. Ideo etiam hoc silentium non potest trahi in argumentum contra primatum ecclesiae Romanae.

Ipsam comparationem doctrinae ecclesiarum Africanarum, in quarum praecipue utilitatem Tertullianus hunc librum composuit, cum doctrina ecclesiae apostolicae Romanae paucis verbis absolvit. Auctor enim in memoriam reducere poterat regulam fidei vel symbolum baptismale, quod non tantum omnibus fidelibus notum erat, sed cuius etiam conformitas cum symbolo Romano omnibus constabat. Non autem totam symboli formam ponit, sed tantum, quantum sufficere poterat ad idem designandum, initium et finem eius. Tamen et hoc loco Tertullianus similiter, ut supra c. 13, oppositos errores haereticorum respicit.

Haec fides apostolica triplici (quadruplici) sacramento consecratur scil.

baptismo, « eam aqua signat » (1);

confirmatione, « sancto spiritu vestit » (2);

eucharistia, « eucharistia pascit »,

martyrio, quod vim sacramenti habet (3), « martyrio exhortatur ». Subiectum harum propositionum semper est « ista quam felix ecclesia » 36, 3, scilicet Romana.

Haec doctrina non tantum haereses futuras esse praedicebat, sed eas quoque praecedebat, quia haereses ab hac doctrina desciscendo ortae sunt. Sua autem defectione ex illa esse desierunt 36, 6. Quod illustratur similitudinibus olivae et oleastri, fici et caprifici 36, 7. Ita etiam haeretici, licet ex eadem stirpe prosilientes, sunt tamen surculi alterius et falsi generis 36, 8.

III. Consectaria cc. 37–40.

Praescriptio ab auctore interposita effecit, ut veritas fidei catholicis adiudicari debeat. Thesis principalis nunc

(1) Baptismus se habet ad fidem sicut signatio (sigilli appositio) ad pactum; est enim eius ratificatio et complementum. Cf. de bapt. 6, « fides obsignata in Patre et Filio et Spiritu sancto » de paen. 5 « paenitentiam (baptismalem) numquam... resignari oportere » ib. 13 « obsignatio baptismi (= per baptismum).

(2) de bapt. 13 ipse baptismus dicitur « vestimentum quodammodo fidei ».

(3) de bapt. 16 martyrium baptismati aequiparatur.

repetitur tamquam conclusio demonstrata: « constat RATIO PROPOSITI NOSTRI definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere » 37, 1. Cf. 15, 3. 4; 19, 2. In iudiciis civilibus probationem praescriptionis sequebatur repulsio auctoris. Similiter etiam Tertullianus nunc fructus suae praescriptionis colligere studet ideoque ad consectaria transit. Capita 37–40 epilogum constituunt argumentationis principalis et non solum mentem illuminare sed et voluntatem movere volunt, quod etiam stylus (frequentia figurarum) prodit. Huius epilogi sententiae principales hae sunt:

Haeretici utentes sacris scripturis laedunt iura aliena, 37, 2–7; in fundo alieno pedem ponunt, alienis rebus utuntur, alienos limites commovent, 37, 3; violant iura possessionis optimis conditionibus munitae 37, 4; invadunt haereditatem non suam, 37, 5; frangunt iura testamenti et fideicommissi 37, 6. Sunt enim pro semper exhaereditati 37, 7, ut extranei et inimici apostolis, 37, 8.

Apud haereticos est adulteratio textus et sensus sacrorum librorum, 38, 1–10. Tertullianus, supra c. 17, 18 de librorum sacrorum corruptione et falsa interpretatione loquens, rem in incerto reliquerat, cf. 18, 3. Hoc loco iam quaestionem decidit et sententiam suam e praecedentibus probat. Veritatem sacrae scripturae, cum etiam haeretici ad eam provocarent, ut certam supponit. Deinde statuit principium: « Illic igitur et scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi doctrinae diversitas invenitur » 38, 1. Hoc principium paucis explicatur: Haeretici coguntur ad huiusmodi adulterationem « instrumentorum », quia secus instrumenta contradicerent doctrinae; econtra catholici propter concordiam instrumentorum cum doctrina nulla ratione moventur ad falsationem sacrarum scripturarum, 38, 2–6 [1]. Etiam hic redit argumentum e principalitate: Prior est res,

[1] *Interpolare, interpolatio* (38, 5. 6), quod hodie ferè de solis additamentis suppositis accipi solet, apud veteres significabat cuiuslibet generis falsationes.

quam eius falsatio, unde non prior forma sacrorum librorum, quae exstat apud catholicos, corrupta censenda est, sed posterior, quae est apud posteros et adversarios i. e. apud haereticos, 38, 6. Talis falsatio fieri potest vel mutatione textus vel interpretatione sensus, 38, 7. 8; cf. 17, 1. 2; 18, 3. Priorem modum secutus est Marcion, ut sacram scripturam corrigeret iuxta opiniones antea a se excogitatas, 38, 9; alterum fecit Valentinus, qui, comminiscens suum systema, rationem habuit verborum sacrae scripturae, cuius tamen verum sensum abigit eique alienum subiicit, 38, 10.

Talis adulteratio non est difficilis vel inexplicabilis ideoque nullo modo miranda (1). Haec ingenia, Marcion et Valentinus, e numero spirituum malorum sunt, necessaria utique ad fidei probationem 39, 1, quod auctor saepe repetit 1, 1; 2, 2; 4, 6–5, 5; 30, 4. Ad hunc finem praediti sunt vi quadam et facilitate errores excogitandi et defendendi. quae tamen dotes non sunt admiratione dignae, quia etiam in litteris profanis habent exempla 39, 2; scil. Virgiliicentonas, ut «Medeam» Hosidii Getae et «Pinacem Cebetis», 39, 2–4; et Homerocentonas, 39, 5. Similibus artificiis aptior est sacra scriptura 39, 5 ex ipsa Dei dispositione, quae haereses permittit esse, quae sine scripturis esse non possunt, 39, 7.

Haereses sunt opus diaboli. Per interrogationem, «a quo intellectus interpretetur (sensu passivo! eorum, quae ad haereses faciant», 40, 1 auctor occasionem sumit inducendi diabolum ut inventorem haereseon. Cf. 7, 1 «doctrinae daemoniorum»; 31, 1 «ab inimico diabolo». Etsi ea quae capite praecedente dicta erant de falsationibus non admirandis, auxilio diaboli confirmari potuissent, tamen hoc caput non

(1) Verba *Erant ingenia*, 39, 1, de Marcione et Valentino intelligenda sunt. Id enim exigit positio verbi *erant* initio, magis vero ea quae sequuntur: «habent... in excogitandis instruendisque erroribus facilitatem» 39, 2. Haec nonnisi de personis dici possunt. Ideo explicatio *ingenia* = artificia, machinae (ita Rauschen ad hunc locum) contextui non congruit. — *De spiritualibus nequitiae* pro genitivo partitivo. — Verborum positio etiam postulare videtur, ut *contemplanda* et *necessaria* non ad *luctatio*, sed ad *ingenia* referantur. Propositio haec alludit ad Eph. 6, 13.

arctius cum praecedente coniungitur. Quare Tertullianus hoc argumento partem principalem terminare voluit, ut fideles efficacius ab omni contagio haereseos deterrerentur. Hanc diaboli operationem, utique invisibilem, auctor ex analogia probare conatur hoc modo: Diabolus, veritatis inimicus, sacramenta Dei imitari solet in cultu ethnicorum, 40, 2-6. Ergo a pari eidem attribuenda est imitatio doctrinae Dei in sectis haereticorum. Ad probandam imitationem sacramentorum in cultu ethnicorum afferuntur plura exempla:

baptismi; in mysteriis Mithrae et aliis non tantum baptismus quidam in usu erat, cui etiam attribuebatur purgatio a peccatis; 40, 3.

confirmationis. Verba « signat illic in frontibus milites suos » similitudinem cum ritu confirmationis exprimunt; sed signatio illa Mithriaca non unctione fiebat, sed notae alicuius inustione.

eucharistiae. Notatu digna est forma verborum « celebrat et panis oblationem », quae de ritu quidem Mithriaco dicta sunt, attamen etiam analogum quidpiam apud christianos significare volunt. Igitur etiam christiani celebrabant oblationem in ss. eucharistia.

Haec tria sacramenta etiam supra 36, 5 simul commemorantur.

Quae sequuntur aliquam praebent difficultatem:

« imaginem resurrectionis inducit ». Quam caerimoniam auctor his verbis designare velit, incertum est. Porro « sub gladio redimit coronam », de quo cf. Tertulliani l. de corona militis c. 15, ut analogia opponi videtur illi 36, 5 « martyrio exhortatur », 40, 4. Aliae analogiae sunt: monogamia summi pontificis (1) virgines et continentes (virgines Vestales), 40, 5, sacrificiorum sollemnitates a Numa Pompilio institutae, minutam et anxiam accurationem legis Iudaicae imitantes, 40, 6. Hinc concludere licet diabolum pariter velle

(1) Tertullianus excepto loco unico l. de pudicitia c. 1, ubi ironice loquitur et edictum imperiale imitatur, numquam episcopos appellat pontifices. Tamen quaedam horum cum illis comparatio in textu continetur.

et posse in perversum imitari doctrinam, sive « instrumenta divinarum rerum (vetus testamentum) et sanctorum christianorum (novi testamenti) profanae et aemulae (= adversae) fidei adtemperare » 40, 7. Itaque diabolus est instigator haereticorum et ratione auctoris haeresis et idololatria non distinguuntur. 40, 8. Ambae de Deo errant, 40, 9, unde quodammodo haeresis est « genus (= species) idololatriae » 40, 9.

E. ARGUMENTA ACCESSORIA CC. 41-43.

1. Conversatio haeretica c. 41.

Conversationem haereticorum, i. e. disciplinam apud haereticos vigentem auctor primo generaliter depingit, 41, 1, et deinde per partes describit, agens

de catechumenatu. Apud haereticos non est certa separatio inter catechumenos, imo ne ethnicos quidem, et fideles 41, 2, 3.

de communicatione ecclesiastica. Omnes indiscriminatim, etiam diversa sentientes, ab haereticis in communione recipiuntur, dummodo ne consentiant cum catholicis, 41, 3, 4. Cf. 42, 6, « schisma est unitas ipsa ». Plura infra c. 43.

de moribus mulierum, quibus apud haereticos permittitur, ut fines verecundiae excedant, 41, 5.

de ordinationibus. Haeretici hac in re negligenter et dissolute agunt, leviter promovent et leviter amovent praepositos, 41, 6–8.

Quae hoc capite continentur, pro disciplina apud catholicos vigente magni momenti sunt. Tertullianus enim non potuisset in haereticis merito reprehendere, nisi ea, quae apud catholicos aliter se habebant. Ita auctor per contraria etiam disciplinam catholicam quodammodo describit.

In ecclesia catholica erat distinctio inter catechumenos et fideles *a)* in adeundo; i. e. catechumeni non ad omnes coetus fidelium admittebantur; *b)* in audiendo; iisdem nondum completa doctrina fidei tradebatur; cf. supra 26, 1; *c)* in orando, in quantum catechumeni prohibebantur a certa parte liturgiae fidelium.

Maiore severitate ethnici arcebantur a mysteriis christianis. Tertullianus itaque hoc loco testatur exsistentiam disciplinae arcani eam-

que verbis Domini (Matth. 7, 6) defendit, a quibus haec disciplina etiam originem habuit. Cf. supra 26, 1.

In ecclesia catholica pax, i. e. communio ecclesiastica non omnibus indiscriminatim concedebatur; negabatur enim « diversa tractantibus » i. e. haereticis (cf. 20, 8. 9; 32, 8), atque nondum satis edoctis.

In ecclesia catholica mulieribus vetitum erat contendere (= in publico docere), exorcismos agere, curationes repromittere, (et multo magis) baptizare.

In ecclesia catholica ordinationes fiebant cum magna diligentia et constantia; ab illis excludebantur (en irregularitates) neophyti et saeculo (per malitiam vel officia publica) obstricti. Semel ordinati in suis officiis manent et non facile ab illis deiiciuntur.

2. Praedicatio haeretica c. 42.

Intentum haereticorum non est, ut aedificent, sed ut destruant, 42, 1. Hoc idem naturae haereseos congruit. Nam et haeresis ipsa non construendo, sed destruendo orta est, aliis verbis: veritatem non attulit, sed abstulit, 42, 2. Quod hoc modo probatur: Sacra scriptura, ut supra probatum est, ad catholicos pertinet. Si haec haereticis adimeretur, nihil proprium eis superesset, quo catholicos impugnare possent. 42, 3. 4.

Modus docendi haereticorum blandus humilitatem simulat, ut hoc modo catholici capiantur. Re vera autem haeretici adeo tument inani superbia, ut ne suis quidem praesidibus sive ducibus reverentiam exhibeant, 42, 5 [1]. Hinc auctor occasionem sumit carpendi acerbe haereticos. E contemptione praelatorum ecclesiasticorum sua sponte oriuntur schismata, quae auctor iam supra, c. 5, ab haeresibus distinxit. Consequenter apud haereticos multa schismata esse debuissent. Ea etiam de facto fuisse Tertullianus claris verbis testatur: « cum (*cum* concessivum!) sint », 42, 6. Nihilominus auctor prosequitur: « Et hoc est, quod schismata apud haereticos fere non sunt ». Sed oximorum verba sequentia manifestant: Sunt quidem schismata apud

[1] Agitur itaque hic de sectis plene constitutis, sive ut aiunt, organizatis.

haereticos, sed non parent » (= apparent). Ratio est: « Schisma enim est unitas ipsa ». Hoc vult dicere: Inter haereticos maxima est dissensio circa fidei veritates et alia omnia. Unum, in quo conveniunt et quod proinde tamquam vinculum unitatis haereticos coniungit, est schisma sive dissensio et contumacia, 42, 6.

Praedicatio haereticorum etiam instabilis est, cum quisque pro libitu a regula sectae suae recedat. 42, 7. Hoc autem consonat naturae haereseos. Nam sicut origo, ita etiam profectus rei. « Idem licuit Valentinianis, quod Valentino ». 42, 8. Quod etiam factis comprobatur, scil. e comparatione doctrinae fundatoris et magistri cum doctrina sequacium eiusdem, qua deprehenditur dissensio, 42, 9. Aliae multae sectae etiam magis instabiles sunt, cum omni vinculo sociali (praesidibus, certa regula etc.) careant, 42, 10.

3. Communicatio cum extraneis c. 43.

Tertullianus haereticis exprobrat « commercia cum magis, circulatoribus, astrologis et philosophis », 43, 1. Haec accusatio differt ab alia 41, 2. 3, ubi de communione in sacris sermo est; hic autem locus de convictu et familiaritate in genere agit. Sarcastice auctor observat: « Quaerite et invenietis ubique meminerunt », 43, 2, ut eos contemptui exponat, utpote qui quaerant apud homines mala fama notatos. E tali autem conversatione colligi potest qualitas fidei haeticorum. Huic fidei deest timor Dei. Sine Dei timore tota religio et disciplina corruit, 43, 3, 4. Post descriptionem disciplinae haereticorum etiam catholicae ecclesiae disciplina exponenda erat, ut ex utriusque comparatione cognoscatur, ubi sit veritas. Hoc etiam auctor praestat, sed paucis verbis absolvit. Bona catholicorum disciplina nascitur e timore Dei. Deinde huius disciplinae qualitates et partes enumerantur cum manifesta oppositione ad ea quae supra cc. 41, 42 de haereticis dicta erant, unde tota haec brevis descriptio e comparatione cum praecedentibus dilucidatur, 43, 5.

« Gravitas honesta », cf. 41, 1: « quam futilis, ... sine gravitate » etc.

« diligentia attonita et cura sollicita » fere ad totum caput 41 spectant.

« adlectio explorata », cf. 41, 6 « Ordinationes eorum temerariae, leves inconstantes ».

« communicatio deliberata », cf. 41, 3 « Pacem quoque passim cum omnibus miscent ».

« promotio emerita », cf. 41, 7 « Nusquam facilius proficitur » etc.

« apparitio devota » cf. 42, 5 « nec suis praesidibus reverentiam noverunt ».

« processio modesta », fere idem dicit. Cf. etiam 41, 5. « Ipsae mulieres haereticae, quam procaces ».

« ecclesia unita », cf. 42, 6-9 de schismatibus apud haereticos.

« Dei omnia », cf. 43, 4 « Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? ».

Conclusio huius partis enuntiatur 44, 1: « Proinde haec pressioris apud nos testimonia disciplinae ad probationem veritatis accedunt ».

F. PERORATIO C. 44. (45).

Transitus ad perorationem habetur 44, 1 verbis « a qua (disciplina) divertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicii » etc. Tertullianus itaque pro sua indole utitur affectu timoris ad movendam voluntatem legentium et ad hunc finem proponit veritates eschatologicas, iudicium scilicet finale coram tribunali Christi, quod maxime ad rem spectat, quia ibi ratio reddenda est « imprimis ipsius fidei », 44, 1. Hoc plenius explicans cum acerba ironia simul multa superius tractata, maxime monita Christi et apostolorum (cc. 4–7), in memoriam revocat.

Per interrogationem, quae sola iam haereseos enormitatem declarat, auctor viam sibi aperit ad validissimam haereticorum confutationem. Quaerit: « Quid ergo dicent, qui illam stupraverint adulterio haeretico, virginem traditam a Christo? ». Statim haereticos loquentes inducit, qui coram iudice afferunt suas excusationes. 44, 3–6. Quae excusationes tam absurdae, impiae, mendaces sunt, ut optime valeant ad demonstrandam turpitudinem haereseos. Haec itaque consi-

derari possunt ut argumentatio ex absurdis, quae sequerentur pro illo iudicio finali, si haeretici salvarentur, quam argumentationem auctor 44, 7–10 invertit ostendendo absurda, quae sequerentur, si tunc catholici damnarentur.

Ad 44, 3 « ab illo vel ab apostolis », et 44, 7 « dominicarum et apostolicarum denuntiationum » cf. 4, 1. Ita commonendo superioris expositionis (cc. 4-7) excusatio haereticorum mendacii arguitur. — Legendum est 44, 4 AGNOSCET pro AGNOSCENT. Nam si haeretici ut subiectum propositionis sumuntur, quod contextus exigit (antea ADLEGABUNT et statim postea ADIICIENT), aptus sensus deest. Porro SUAM et SUORUM iuxta praecedentia de illo (Christo) et apostolis eius intelligi debet. Tunc autem subiectum propositionis est Christus. Utique haec sententia, horrenda assertione impossibilis, errorem haereticorum demonstrat. — Quae 44, 5 continentur, vana et falsa cognoscuntur e 30, 15-17. Sed etsi vera essent, non valerent pro excusatione propter monitum sacrae scripturae de miraculis falsarum prophetarum (Matth. 24, 24 s). Ironice auctor concludit: Itaque veniam merebuntur », 44, 6.

Altera suppositio, quod catholici in illo iudicio « de venia periclitabuntur », iam conditione addita (« Si vero memores » etc.) absurda apparet. 44, 7. Quae absurditas magis patet ex ineptiis et contradictionibus, quae tunc ipsi Christo iudici attribuendae essent. 44, 8–11. Etiam hoc loco allusiones inveniuntur tam ad regulam fidei quam ad doctrinam haereticorum. Demum argumentationi finem imponit his verbis: « Talia capit (= contingit) opinari eos, qui exorbitant et fidei veritatis (= fidei verae) periculum non cavent » 44, 12.

Subiungitur communicatio quaedam auctoris de aliis operibus, quibus haereses saltem aliquas in particulari refutare sibi proposuit. Quare etiam differentiam inter opera illa posteriora et librum praesentem indicans, iterum huius libri rationem describit: « nunc quidem generaliter actum est nobis adversus haereses omnes, certis et iustis et necessariis (= ad assentiendum cogentibus) praescriptionibus repellendas a conlatione scripturarum ». Tam inscriptio quam corpus argumentationis unam praescriptionem nominant (cf. supra p. 9). Si auctor in fine de pluribus praescriptionibus loquitur, hoc facile intelligi potest, quia etiam argumenta accessoria (cc. 41–43) connumerat.

Ex sequenti propositione: « De reliquo... etiam quibusdam specialiter respondebimus », merito deducitur librum de praescriptione haereticorum priorem esse omnibus aliis Tertulliani operibus, quae adversus haereticos composuit.

In fine tandem leguntur verba, de quibus, utrum sint Tertulliani an librarii cuiusdam, non constat: « Haec in fide veritatis legentibus pax et gratia Dei nostri Iesu Christi in aeternum ».

APPENDIX.

DE COMMONITORIO VINCENTII LIRINENSIS.

Praenotanda.

Cum Tertulliani libro de praescriptione haereticorum *affinitatem* habet Commonitorium Vincentii Lirinensis. Conveniunt enim in obiecto. Ambo quaerunt et statuunt criterium, quo veritas catholica dignosci valeat ab haeretica pravitate. Hinc etiam sequitur ambos saepe convenire in rebus tractandis et testimoniis biblicis. Ita e. g. in utroque opusculo plura de sacra scriptura ut fonte veritatum fidei inveniuntur. Quod apud Tertullianum (praescr. 3) habetur de scandalo e lapsu personarum insignium proveniente, fusius tractatur a Vincentio (comm. 10–22).

Tamen duo haec opuscula etiam valde inter se *differunt*. Diversitas ista oritur partim e temporis, partim ex scopi varietate.

Tempore enim Vincentius a Tertulliano ultra duo saecula distat. Haereses, quas Tertullianus impugnat, tam manifestos et tam crassos praedicabant errores, ut sola iam symboli sive regulae verba sufficere possent ad eorum confutationem. Dissensus doctrinae haereticae a praedicatione ecclesiae facile deprehendebatur, ideoque id solum quaeri debebat: Cui credendum, ecclesiae, an haeresi? Porro vivente Tertulliano conditio traditionis ecclesiasticae talis erat, ut eius consensio cum praedicatione apostolica facilius et securius cognosci posset. Initia singularum ecclesiarum in recenti memoria erant. Quod illustrari potest exemplo S. Irenaei, qui, Tertulliano fere aequalis, discipulus fuit Polycarpi,

quem idem Irenaeus (apud Eusebium H. E. V 20, 6) auditorem immediatum fuisse testatur S. Iohannis apostoli aliorumque testium vitae Christi. Videtur etiam usque ad Tertullianum nullus fuisse casus, quod integrae ecclesiae vel maxime ecclesiae ab apostolis fundatae a vera fide defecerint. Quare Tertulliani criterium suo tempore abunde satisfaciebat.

Tempore autem Vincentii Lirinensis haereses multo subtiliores ortae erant, quae etiam symboli testimonia in suam partem trahere conabantur et iactabant se habere fidem ab apostolis traditam idque e sanctis patribus probari praetendebant. Sane propter maiorem temporis distantiam difficilius interim evaserat de doctrinis illis subtilioribus certum ferre iudicium, utrum cum apostolica praedicatione concordarent, necne. Praeterea plura interim exempla acciderant, quod totae ecclesiae falsis doctrinis corrumpebantur, quod etiam episcopi prae ceteris famosi in haeresim lapsi erant. Paulus Samosatenus ipsam venerabilem ecclesiam apostolicam Antiochiae suo errore maculaverat. Ex altera vero parte plura concilia verbo et exemplo docuerant, quomodo in talibus quaestionibus disputandis esset procedendum. Hinc criterium a Vincentio statutum magis expolitum esse debebat et poterat, quam criterium Tertulliani.

Scopus quoque Vincentii differt a scopo, quem intenderat Tertullianus. Tertullianus enim suo opusculo omnes haereses simul uno eodemque argumento confutare voluit et ita quidem, ut discussiones singularum assertionum haereticarum prorsus essent supervacaneae. Vincentius econtra criterium quaerit, quo singulas doctrinas examinaret earumque veritatem vel falsitatem cognosceret. — Utrum praeter hunc scopum alium quoque occultiorem sibi proposuerit, i. e. utrum commonitorium certam quamdam doctrinam impugnare intendat, hoc loco non consideramus, sed commonitorium spectamus, quatenus tractatum exhibet de criterio orthodoxae fidei.

Etiam commonitorium magna cum arte dispositum est. Forsitan cognitio ordinis rerum a Vincentio excogitati et ad amussim observati non ita necessaria est ad huius opu-

sculi rectam intelligentiam, quia stilus auctoris est clarus et perspicuus, tamen sine dubio maiorem lucem affert, ut plenius mentem auctoris assequamur (1).

(1) Editionem sequimur Gerardi Rauschen in *Florilegio patristico*, fasc. V, *Vincentii Lirinensis commonitoria*, Bonnae 1906.

ORDO RERUM.

I. EXORDIUM, C. 1.

Exordium, cuius finem auctor ipse indicat (1, 8 « Atque hoc ipsum idcirco praemonui »), causas scribendi exponit, quae sunt quatuor

1. utilitas (« fructus operis » 1, 2) tam sacrae scripturae effatis quam commodo memoriae comprobata, 1, 1.

2. « consideratio temporis », (1, 2) quod fugacitate sua postulat, ut aliquid meriti pro vita aeterna acquiramus, quod propinquitate iudicii monet, ut studia religionis augeantur, quod propter haereticorum fraudulentiam magnam diligentiam requirit, 1, 3.

3. « opportunitas loci » (1, 2) i. e. solitudo monasterii, quae talibus studiis favet, 1, 4.

4. « propositi ratio » (vocatio religiosa), cui talia studia conveniunt, 1, 5.

Quibus pauca de « scribendi lege servata » (1, 6) adiiciuntur 1, 6–8.

II. NARRATIO, PROPOSITIO ET EXPLICATIO, C. 2, 3.

Auctor, quaerendo criterium ad dignoscendam veram fidem ab haeretica pravitate, duplicem regulam invenit: « primum scilicet divinae legis (sacrae scripturae) auctoritatem, tum deinde ecclesiae catholicae traditionem », 2, 1. Interrogando, cur praeter s. scripturam etiam traditio ecclesiae (= « ecclesiasticae intelligentiae auctoritas ») sit necessaria, 2, 2, transit ad probandam insufficientiam solius sacrae scripturae, 2, 3, unde sequitur necessitas traditionis (= « ecclesiastici et ca-

tholici sensus norma »), 2, 4. Ita auctor ad propositum venit et iam regulam statuit, « ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est » 2, 5.

Haec Vincentii regula proinde nota « catholicitatis » sive universalitatis innititur, et quidem universalitatis 1 localis, 2 temporalis, 3 personalis. Distinctio haec vitiosa est, quia etiam universalitas localis et temporalis inhaeret personis et ideo tertium membrum in prioribus iam continetur. Fieri ergo non potest, quin haec distinctio imperfecta aliquo modo etiam ordinem rerum disturbet. Veritas huius regulae e sola voce « catholici » iam declaratur.

Iamiam sequitur duplex explicatio huius regulae

a) theoretica per explicationem terminorum seu potius per verba synonyma, scil.

1. quod ubique = universitas, quod fere coincidit cum catholicitate,

2. quod semper = antiquitas, quod fere coincidit cum apostolicitate,

3. quod ab omnibus = consensio, quod fere coincidit cum unitate. In singulorum membrorum divisionibus distinctio illa vitiosa producit confusionem, quam auctor tegere studet subordinando tertium membrum secundo, ut e consensione simpliciter dicta faciat consensionem antiquitatis, 2, 6. Huic theoreticae explicationi consonat etiam

b) practica, quae vim verborum casibus concretis illustrat, 3, 1–4.

1. Universitati correspondet casus, quod quaedam doctrina contradicit fidei communiter vigenti temporis praesentis, 3, 1.

2. Antiquitati correspondet casus, quod quaedam doctrina contradicat fidei communiter vigenti olim tempore praeterito, 3, 2.

3. Consensio ita intelligitur, ut etiam tempore praeterito non habeatur plena concordia doctrinae, tunc consensio duplici modo manifestari potest, scil. vel

a) concilii alicuius oecumenici decreto, 3, 3; vel

b) consensu sanctorum patrum collatis eorumdem sententiis definito, 3, 4.

Hac prolixa explicatione satis clare etiam mens auctoris cognoscitur.

III. ARGUMENTATIO.

1. Illustratio per exempla, cc. 4–6.

Nota 4, 1: «exemplis singillatim illustranda sunt». Haec exempla accurate sequuntur casus, 3, 1–4, positos.

Ad 1. Exemplum universitatis, i. e. consensus temporis praesentis.

(Donatistarum).

Tempore nascentis sectae Donatistarum fideles illi veritatem tenuerunt, qui non partem Africanam ecclesiae secuti sunt, sed totius ecclesiae fidem servarunt, 4, 2.

Ad 2. Exemplum antiquitatis sive consensus temporis praeteriti.

(Primordia Arianismi).

Cum lata divulgatio Arianismi criterium universitatis frustrasset, illi in vera fide permanserunt, qui doctrinam communem antiquitatis retinuerunt, 4, 3.

Commemoratio Arianismi auctori occasionem praebet amplificandi adversitates ex Arianismo subortas. Igitur, ut affectum horroris excitet, pluribus describit, «quantum invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione», 4, 4-7. Et ne haec descriptio ficta aut exaggerata videatur, affertur testimonium S. Ambrosii, 5, 1. 2. A mentione patrum concilii Nicaeni auctor 5, 3. 4. sensim sine sensu ad tertium exemplum transit. Ideo plerumque distinctio tertii exempli a secundo non satis advertitur.

Ad 3. *a)* Exemplum consensionis vetustorum decreto synodali demonstratae, 5, 5–7.

(Arianismus posterior).

Laeti successus defensorum fidei, qui demum Arianismum superarunt, 5, 4, ex eo orti sunt, «quod tunc apud ipsam ecclesiae vetustatem non partis alicuius, sed

universitatis ab his est suscepta defensio », 5, 5 et quidem eo quod « omnium sanctae ecclesiae sacerdotum (scil. in concilio Nicaeno congregatorum) decreta et definita sectantes », noluerunt « vetustae universitatis fidem prodere », 5, 6. Observa hic conditiones supra ad 3a positas.

Ad 3 *b)* Exemplum consensionis vetustorum sola patrum traditione comprobatae, 6, 1–9.

(Controversia de rebaptismate).

Post longiorem huius exempli introductionem (6, 1–3) narratur origo litis sub Agrippino episcopo Carthaginiensi (6, 4). Sed huic novitati restitit Stephanus papa (6, 5), in sola traditione a patribus suscepta nixus 6, 6. Eventus agendi modum Stephani probavit, 6, 7. Non obstantibus patrociniis validis, quae superari non posse videbantur (6, 8), tamen etiam synodi Africani decreta abolita sunt, 6, 9.

Deinde auctor exclamat: « Et o rerum mira conversio! Auctores eiusdem opinionis catholici, consectatores vero haeretici iudicantur », 6, 10. Haec sane ad regulam fidei non pertinent, sed digressionem faciunt, a qua auctor 7, 3 revertitur, ut ipse dicit: « Sed ad propositum redeamus ».

2. Confirmatio per rationes, cc. 7–9.

In confirmatione auctor non amplius considerat varias partes suae propositionis ideoque thesim suam hoc modo simpliciorem efficit: « Magno igitur metu nobis immutatae fidei ac temeratae religionis piaculum pertimescendum est », 7, 4.

Haec thesis e duplici capite probatur:

a) « e constitutionis ecclesiasticae disciplina ». Haec demonstratio plus minusve conveniret cum exemplis supra cc. 4–7 allatis; ideo ab auctore praetermittitur.

b) e « censura apostolicae auctoritatis » 7, 5 – 9, 9. Auctor primo multa effata S. Pauli simpliciter enumerat, 7, 5–9; deinde verba Gal. 1, 8. 9 accuratius explicat, narrans horum verborum occasionem, 8, 1, exponens eorum sensum, 8, 2. 3, vim et auctoritatem, 8, 4. 5, valorem pro

omni loco, 9, 1. 2, et tempore, 9, 3. 4. Tum sequitur fervida et vehemens conclusio huius partis 9, 5–9.

3. Refutatio obiectionum.

Capita 10, 23, 25, 26, 27 incipiunt ab obiectionibus vel interrogationibus. Cum autem duo loci posteriores ad eamdem materiam capite 25 inchoatam pertineant eique subordinentur, obiectiones ad ternarium numerum reducuntur.

Obiectio prima (de lapsu personarum excellentium).

« *Cur ergo persaepe divinitus sinuntur excellentes quaedam personae in ecclesia constitutae res noras catholicis adnuntiare?* ».

Solutio huius quaesiti duplex promittitur *a)* e « divinae legis auctoritate », *b)* ex « ecclesiastici magisterii documento », 10, 1. Cf. 17, 1: « Quod primum scripturae auctoritate, deinde ecclesiasticis docebamus exemplis ». Itaque ecclesiastici magisterii documentum = ecclesiastica exempla. Nunc facile est invenire secundae partis initium. Vide 11, 1: « Hic forsitan efflagitet aliquis, ut ea... ecclesiasticis aliquibus demonstrentur exemplis ».

a) Responsio e sacra scriptura, 10, 2–8. Ratio desumitur e Deut. 13, 1–3. De viris doctis novas doctrinas praedicantibus (10, 2) valent illa Deuteronomii verba, quae per partes explicantur, 10, 3–7, unde constat illud a Deo permitti ad nostram tentationem, quae « profecto magna tentatio est » 10, 8.

b) Responsio per exempla, cc. 11–22. Afferuntur autem quinque exempla.

Primum exemplum: **Nestorius.** 11, 2–4.

Magna tentatio ecclesiae fuit lapsus Nestorii 11, 2 tam propter eius dignitatem et merita, 11, 3, quam praecipue propter eius fervorem in exstirpatione haereseon, 11, 4.

Secundum exemplum: **Photinus,** 11, 5–8.

Nestorius quidem, homo mediocris, 11, 5, a Photino episcopo Sirmiensi superatur. Hic suis erroribus 11, 6, propter

praeclaras dotes, quas habebat, 11, 7, magna fuit tentatio, quam fideles eius curae commissi feliciter superarunt, 11, 8.

Tertium exemplum: **Apollinaris**, 11, 9–12.

Apollinaris auditores suos in gravissimum fidei periculum induxit, 11, 9, doctrina eminebat, 11, 10, bene meritus erat de ecclesia tam fortiter dimicando contra inimicos fidei 11, 11, quam scriptis operibus; nihilominus eius doctrina fuit tentatio ecclesiae, 11, 12.

Hoc loco (12, 1) auctor rerum ordinem interrumpit atque expositionem doctrinae Nestorii, Photini et Apollinaris praebet. Ipse etiam fatetur: « Hoc quidem ad rem, de qua nunc agimus non attinet » 12, 1. Tamen utilitatis gratia « in excursu » (12, 3) hanc descriptionem intermiscet. Huius excursus finis notatur 16, 9: « Nunc ad propositum redeamus ». Digressio itaque comprehendit cc. 12–16.

Digressio, cc. 12–16.

Haec continet

1. descriptionem doctrinae haereticae
   a) Photini, 12, 5.
   b) Apollinaris, 12, 6-8.
   c) Nestorii, 12, 9-13. Post brevem recapitulationem horum errorum, 13, 1, auctor facit
2. descriptionem doctrinae catholicae, 13, 2-15, 8; et tandem
3. recapitulationem totius excursus, c. 16: (« Sed iam ea, quae de supra (c. 12) memoratis haeresibus, (c. 12) vel de catholica fide (c. 13-15) breviter dicta sunt, renovandae causa memoriae brevius strictiusque repetamus »). Confer 16, 2 cum 12, 5-13 et 13, 1 de erroribus Photini, Apollinaris et Nestorii; 16, 3 cum 13, 2-6, de ss. Trinitate; 16, 4 cum 13, 2-15, de unione hypostatica in Christo; 16, 5 cum 15, 1-3 de tempore unionis hypostaticae; 16, 6 cum 14, 1-10, de veritate naturae humanae in Christo; 16, 7, cum 15, 3-8, de communicatione idiomatum in Christo. 16, 8 novum addit de nexu inter mysterium ss. Trinitatis et mysterium incarnationis. Tandem 16, 9 clauditur digressio.

Post recapitulationem eorum, quae cc. 10, 11 dicta sunt, 17, 1, fit transitus ad continuationem exemplorum, 17, 2 et sequitur

Quartum exemplum: **Origenes**, 17, 3–18.

Gravissima ecclesiae tentatio fuit Origenes, 17, 3, propter eius vitam, familiam, fidei confessionem, 17, 4 propter eius singularem eruditionem, 17, 5, eloquentiam, 17, 6 et sacrae scripturae cognitionem et numerum operum ab ipso scriptorum, 17, 7, propter multitudinem et virtutem discipulorum eius, 17, 8, propter venerationem, quam habebat apud omnes, 17, 9, etiam apud imperatores, 17, 10, et apud philosophos ethnicos, 17, 11, quibus omnibus augetur periculum ex erroribus eius proveniens, 17, 12, sicut et de facto multi per eum a fidei integritate deducti sunt, 17, 13. Sed quia Origenes negligebat traditionem maiorum 17, 14, etiam ipse eo devenit, ut caderet sub verba illa Moysi (cf. c. 10), 17, 15. Haec tentatio tanto gravior fuit, quanto minus exspectata, 17, 16. Sed etsi opera Origenis ab haereticis essent corrupta, 17, 17, tamen manet tentatio gravis, quia sub nomine et auctoritate tanti viri errores sparguntur 17, 18.

Quintum exemplum: **Tertullianus**, 18, 1–6.

Tertullianus, Latinorum doctissimus, 18, 1, in omnibus scientiis excultus, 18, 2, vir ingenio excellens, 18, 3, multorum errorum debellator per multas ac magnas voluminum suorum moles, 18, 4, quia tamen non erat universalis ac vetustae fidei tenax, teste S. Hilario postremo in errorem lapsus, 18, 5, meruit, ut verba illa Moysis etiam de eo valerent, 18, 6.

Conclusio exemplorum fit brevi capite 19.

Deinde e dictis colliguntur *consectaria* (« Quae cum ita sint » 20, 1 et 21, 1, et quidem

1. quae observari debeant in negotio fidei, c. 20.

Fidelis catholicus quamcumque auctoritatem humanam postponere debet fidei catholicae, 20, 1. Id solum debet tenere, quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit », et pro tentatione reputare, « quidquid ab alio deinceps uno praeter omnes vel contra omnes sanctos novum et inauditum subinduci senserit », 20, 2. Nam haereses teste Paulo (1 Cor. 11, 19) ad tentationem fidei permittuntur 20, 3. De facto novitatibus haereticorum frumentum purgatur a paleis, 20 4. Conditio haereticorum comparationem habet cum paleis, 20, 5. Haec conditio haereticis

esset divinae miserationis medicina, si saperent, 20, 6. Idcirco quatiuntur procellis, ut ad matrem ecclesiam reducantur, 20, 7. Dediscant errores et credant recte, 20, 8.

2. quae evitari debeant, c. 21.

Damnanda est quorumdam hominum vesania, qui, non contenti tradita et recepta semel antiquitus credendi regula nova ac nova in diem quaerant 21, 1. Hi veritatem fidei tractant non ut caeleste dogma, sed ut terrenam institutionem 21, 2, cum S. Paulus (1 Tim. 6, 20 s) tales novitates prohibeat, 21, 3. Et tamen sunt, qui pertinaciam suam flectere nolint, 21, 4. Verbum istud S. Pauli (cf. 21, 3) dehortatur a novitatibus, 21, 5, et a falsa scientia et a quibusdam qui novam fidem promittunt, 21, 6. Deinde auctor quosdam respicit, qui novam doctrinam pollicentur, 21, 7, eamque arcanam, 21, 8. Hi comparantur meretrici, de qua verba Prov. 9, 15–18 dicta sunt, 21, 9 10. Tandem hanc admonitionem claudit amplificatione effati S. Pauli 1 Tim. 6, 21, quod per partes explicatur, 22, 1–7. Ultima huius capitis propositione « cum dicas nove, non dicas nova » auctor iam praeparavit sequentem obiectionem.

Obiectio secunda (de progressu dogmatico).

« *Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis?* » 23, 1.

Responsio concedit et commendat profectum fidei, sed reiicit permutationem fidei. Profectum fidei explicat, 23, 2. 3, et illustrat analogia corporis organici, quod crescendo proficit et tamen idem manet, 23, 4–9.

Tum iterum auctor fusius impugnat fidei permutationem adhibendo similitudinem tritici et zizaniae, 23, 10–13, atque argumentando ex effectibus; negatio enim alicuius partis aliarum quoque partium et demum totius dogmatis destructionem post se trahit, 23, 14; item admixtio alicuius elementi alieni totam fidem perturbat et corrumpit, 23, 15. Igitur etiam ecclesia sedulo abstinet ab omni permutatione fidei, 23, 16, sed omni industria « studet, ut antiquitus informata et incohata accuret et poliat, iam expressa et enucleata consolidet et firmet,

confirmata et definita custodiat » 23, 17. Idem conciliorum decretis efficere intendit, 23, 18, 19.

Etiam hanc partem, ut supra c. 22 concludit amplificatione eiusdem loci S. Pauli (1 Tim. 6, 21), 24, 1–6. Huius doctrinae neglectu ortae sunt haereses, 24, 7, quod monstratur exemplis Pelagii, 24, 8, Caelestii, Arii, Sabellii, Novatiani, 24, 9, Simonis Magi et Priscilliani, 24, 10–11. Ita omnes haereses originem habent a rerum novarum cupiditate, 24, 12; catholicorum vero est servare depositum fidei, 24, 13.

Obiectio tertia (de usu sacrae scripturae apud haereticos).

« *An et haeretici divinae scripturae testimoniis utantur* » 25, 1.

Responsio fatetur etiam haereticos sacras scripturas adhibere, 25, 1, et quidem omni occasione, 25, 2, quod opera eorum scripta demonstrant, 25, 3.

Sed hic usus eo fine fit, ut doctrinae haereticae invocatione sacrae scripturae facilius valeant instillari, 25, 4, 5.

Iam Salvator monuit: Attendite vobis a pseudoprophetis etc., quae verba de fallacia haereticorum intelligenda sunt, 25, 6–9. Simili modo etiam a S. Paulo haeretici describuntur, 25, 10–14. In fine capituli astutia diaboli commemorata est, cuius « callida machinamenta » in eo consistunt, « ut divinorum verborum praetendatur auctoritas » 25, 14. Hinc auctor adducitur ad quaerendum: « Unde probatur, quia sacrae legis exemplis diabolus uti soleat? » 26, 1. Propter nexum itaque cum capite praecedente haec interrogatio non ut nova obiectio a capite praecedente separanda est.

Probatur usus sacrae scripturae a diabolo factus ex ipsa scriptura. Si enim diabolus Dominum tentavit verbis scripturae, quanto magis hoc faciet misellis hominibus? 26, 1–2. Ergo cavere debemus, ne per verba scripturae seducamur, 26, 3–4. Sicut caput (diabolus) capiti (Christo), ita nunc membra (haeretici) membris (catholicis) suadent: Mitte te deorsum, scil. a templo Dei (fide ecclesiae), 26, 5, idque probant: « Scriptum est enim », 26, 6 et statim mille textus profe-

runt, 26, 7. Multa incautis pollicentur, scilicet gratiam magnam, specialem ac plane personalem etc. 26, 8, 9.

Sequens interrogatio, « quid facient catholici homines? » 27, 1 scil. ne ab haereticis vel diabolo per sacram scripturam seducantur, sua sponte e praecedentibus sequitur et transitum facit ad recapitulationem eorum, quae « in principio commonitorii istius », i. e. cc. 2 et 3, scripta sunt; ut *a)* « divinum canonem (sacram scripturam) secundum universalis ecclesiae traditiones et iuxta catholici dogmatis regulas » interpretari debeamus 27, 2; cf. 2, 2–4; ut *b)* in traditione « universitatem, antiquitatem, consensionem » sequamur, 23, 3; cf. 2, 6); ut *c)* in vetustate « generalia, si qua sunt, universalis concilii decreta » praeponamus, et si id minus, ut « multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum » sequamur, 27, 4; cf. 3, 3–4. Hoc modo errores facile vitari possunt, 27, 5.

Consensus magistrorum 27, 4 commemoratus auctorem inducit ad aliam partem, exemplis scilicet demonstrandi, quomodo ex « conlatis veterum magistrorum concordantibus sibimet sententiis » sit argumentandum, 28, 1. Qua de re auctor sequentia observat: Haec consensio patrum non in secundariis quaestionibus theologicis, sed « praecipue in fidei regula » spectanda est, 28, 2. Hoc criterium statim initio haeroseos, i. e. contra haereses recenter exorientes, adhibendum est, 28, 3. Haereses econtra iam inveteratae scripturarum auctoritate convincendae aut, si iam convictae universalibus conciliis, evitandae sunt, 28, 4. Itaque haec collatio sententiarum sanctorum patrum differri non debet, 28, 5; sed eorum tamen patrum, qui in fide communi ad mortem usque perseverarunt, 28, 6, et eas tantum sententias colligere debemus, in quibus omnes vel plurimi consentiunt, 28, 7; si quis vero praeter vel contra omnes aliquid senserit, hoc nonnisi sententia privata est ideoque caute tractanda sine acceptione personae, 28, 8; consensum patrum spernere non licet, 28, 9–11. Nulli homini privato conceditur auctoritas exigendi fidem, 28, 12. Verus propheta iuxta Dei mandatum unitatem servat, 28, 13; qui hoc mandatum non observat,

excluditur a societate fidelium, 28, 14, cuius exemplum est Iulianus Pelagianus, 28, 15.

Sequitur transitus ad materiam supra 28, 1, annuntiatam, cuius tamen expositio ad alium librum remittitur, 28, 16.

SECUNDUM COMMONITORIUM.

Notanda sunt verba in fine capitis 28 posita: « Secundum commonitorium interlapsum est; neque ex eo amplius quidquam, quam postrema particula remansit, id est, sola recapitulatio, quae et subiecta est ».

Haec verba non solum in omnibus codicibus leguntur, sed etiam Gennadio nota fuisse debent. De scopo huius adnotationis iudicari nequit, nisi prius soluta sit quaestio de fine, propter quem auctor hoc opus suum scripserit. Hanc quaestionem, ad nostrum propositum non pertinentem, consulto seposuimus. Nobis scire sufficiat ea quae sequuntur ab auctore haberi pro parte ultima alicuius operis, cuius corpus interierit.

Initio annuntiatur recapitulatio duorum commonitoriorum, 30, 1.

1. *Recapitulatio primi commonitorii*, 29, 1–6.

29, 2, cf. 2, 1: de fontibus fidei, scriptura et traditione;

29, 3, cf. 2, 2–4; de necessitate traditionis praeter sacram scripturam;

29, 4, cf. 2, 5–3, 2; de universitate, antiquitate, consensione observandis;

29, 5, cf. 3, 3; de decretis universalis concilii;

29, 6, cf. 3, 4; de consensu sanctorum patrum.

2. *Recapitulatio secundi commonitorii*, 29, 7–32, 6.

Argumentum secundi commonitorii cognosci iam potuit e 29, 1 et 16, scil. modus procedendi in colligendis et conferendis sanctorum patrum sententiis per exempla illustratus. Huiusmodi exempla afferuntur duo:

Primum exemplum: **Concilium Ephesinum**, 29, 7–30, 7.

Concilium Ephesinum, cuius tempus indicatur, 29, 7, exemplum dedit inquisitionis sententiarum sanctorum pa-

trum, 29, 8 et iuxta eorum consensionem Nestorium damnavit, Cyrillum probavit, 29, 9. Plenius id monstratur nominibus et numero eorum, quorum tunc sententiae et concordia explorata sunt. 29, 10. Sunt autem Petrus, Athanasius, Theophilus, Cyrillus Alexandrini, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Cappadoces, Felix et Iulius, Romani, Cyprianus Carthaginiensis et Ambrosius Mediolanensis, 30, 1–5, quorum sacratus numerus denarius (!), 30, 6, ad demonstrandam consensionem sufficiebat, 30, 7. Et quod synodus exemplo docuit, id etiam disertis verbis expressit. In eadem enim synodo Cyrillus occasione lectionis litterarum Capreoli, episcopi Carthaginiensis (31, 1), eamdem regulam — ut antiqua fides confirmetur, novitas condemnetur — professus est, 31, 2, cui omnes episcopi acclamarunt, 31, 3. Haec conservatio traditae fidei probat patrum synodalium humilitatem et sanctitatem, 31, 4, qua posteris et veram fidem tradiderunt et bonum exemplum reliquerunt, 31, 5. Econtra maxima fuit praesumptio Nestorii, qui se solum sapientem putavit contra omnes, contra totam ecclesiam, 31, 6, 7.

Secundum exemplum: **Xysti et Caelestini Romanorum pontificum epistolae.**

Introducitur exemplum Xysti et Caelestini, 32, 1.

Xystus epistola ad episcopum Antiochenum de causa Nestorii scripta praecipit, ut una fides teneatur, 32, 2, scilicet fides maiorum, 32, 3.

Caelestinus epistola ad sacerdotes Gallos corripit eorum conniventiam in errore, 32, 4, et quidem illorum, qui novitate impugnabant vetustatem, 32, 5–7.

CONCLUSIO.

Conclusio iterum facit recapitulationem: Qui itaque his « Apostolicis catholicisque decretis » (regulae a Vincentio probatae) refragatur, contemnit memoriam S. Caelestini, definita S. Xysti, statuta beati Cyrilli, 33, 1, iudicata synodi Ephesinae, 33, 2. 3, totam ecclesiam et praecipue S. Paulum, 33, 4. 5.

Quod certe non licet, ideoque cuncti haeretici iure meritoque damnati sunt, catholicis vero necesse est, ut sanctae sanctorum patrum fidei inhaereant, profanas vero profanorum novitates detestentur, 33, 6.

In fine auctor similem protestationem subiungit ac supra 1, 1. 7, quod haec duo commonitoria scripserit memoriae suae adminiculandae, 33, 7.

INDEX MATERIAE

Introductio . . . . . *Pag.* 3
Dispositionis vestigia 7
Ordo rerum 13
A. Exordium 13
1. Occasio scribendi 13
2. Admonitio generalis cavendi haereses 13
3. Admonitio specialis circa liberum examen s. scripturae . . 19
B. Propositio 26
C. Prolusio de methodi propositae veritate et bonitate 27
D. Argumentum principale 30
I. Criterium, quo vera fides a falsis doctrinis internoscitur. . . 30
II. Applicatio criterii 44
1. Ad haereticos 44
2. Ad catholicos. 49
III. Consectaria. 51
E. Argumenta accessoria. 55
1. Conversatio haeretica 55
2. Praedicatio haeretica. 56
3. Communicatio cum extraneis. 57
F. Peroratio. 58

Appendix

de Commonitorio Vincentii Lirinensis.

Praenotanda. 61
Ordo rerum 64
I. Exordium 64
II. Narratio, propositio et explicatio. 64
III. Argumentatio. 66
1. Illustratio per exempla. 66
2. Confirmatio per rationes 67
3. Refutatio obiectionum 68
Obi. 1. de lapsu personarum insignium 68
Digressio. 69
Obi. 2. de progressu dogmatico 71
Obi. 3. de usu sacrae scripturae apud haereticos 72
Secundum commonitorium 74

Servatis de iure servandis evulgari potest.

Romae, die 15 Februarii 1924.

Fr. Bernardinus Klumper, O. F. M.
Min. Glis.

IMPRIMATUR.

Florentiae, 6 Aprilis 1924.

Can. Ioachim Bonardi, Vic. Gen.

213.41
H944 Huntemann, Ulric, fr.
De Praescriptione
Haereticorum Libri
DATE | ISSUED TO

213.41
H944

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

THE PROVINCIAL LIBRARY BINDERY
SAN ANTONIO DE PADUA MISSION
JOLON, CALIFORNIA